West Virginia University Libraries
3 0802 102245640 7

PHARMACOPŒA BELGICA

EDITIO TERTIA

P. Weissenbruch, Imprimeur du Roi.
Bruxelles

47M1

RECEIVED
APR 9 1957
WEST VIRGINIA UNIVERSITY
MEDICAL CENTER LIBRARY

DO NOT CIRCULATE

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
LYRASIS Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/pharmacopebelge00brux

PHARMACOPŒA

BELGICA

MINISTÈRE DE L'AGRICULTURE

PHARMACOPŒA

BELGICA

EDITIO TERTIA

BRUXELLES

P. WEISSENBRUCH, IMPRIMEUR DU ROI

ÉDITEUR

49, rue du Poinçon, 49

1906

RS141.34
T53
1906

PRÆFATIO

Pharmacopœæ ultima editio anno 1885 prodiit; cui duo supplementa addita fuere, prius anno 1892, posterius anno 1896.

Abhinc cum tam medicorum quam pharmacopolarum artes perfectiores evaderint, multa medicamina ex usu ceciderunt, novæ vero medicaminum formæ, novaque remedia apud medicos in usum venerunt. Insuper quorumdam pharmacorum compositorum formulæ simplificandæ et uniformes faciendæ erant.

E statisticis ab officinarum regni inspectoribus relatis patuit necessitas uberius explicandi et præcisius describendi methodos analyticas probandis pharmacis adhibendas.

His præcipuis de causis, statuit Gubernium *Pharmacopœam* anno 1885 editam ejusque duo supplementa esse revidenda.

Ex Regis edicto tertio idus octobris anni 1897 edito hujus operis perficiendi munus accepit Commissio quædam cujus membra fuere :

DD. Heymans, J., medicinæ doctor, universitatis Gandavensis professor, Academiæ regiæ medicæ socius in litteris;

Hendrix, A.-J., Antverpiæ pharmacopola;

Jorissen, A., pharmacopola, universitatis Leodiensis professor, Academiæ regiæ scientiarum socius;

Nélis, H., pharmacopola, officinarum inspector principalis;

Stiénon, medicinæ doctor, universitatis Bruxellensis professor, Academiæ regiæ medicæ socius in litteris;

Ranwez, F., pharmacopola, universitatis Lovaniensis professor, Academiæ regiæ medicæ socius in litteris;

Van Hulst, L., pharmacopola, officinarum inspector.

Vi ejusdem edicti D. H. Nélis præsidis vicem obtinuit; D. F. Ranwez fuit a secretis.

D. Stiénon munus sibi delatum a se auferri petiit et ejus vices gessit D. Van den Corput, medicinæ doctor, universitatis Bruxellensis professor, Academiæ regiæ medicæ socius, pater conscriptus.

Antequam hæc Commissio conveniret, Commissiones medicales provinciales Gubernium consuluerat de immutandis in Pharmacopœa. Nostrorum laborum decursu, quæ a nobis ad diem statuta fuerant, societatibus pharmacopolarum et medicorum communicavimus, ipsas orantes ut a se observanda ad nos mitterent.

Hujusmodi sensus multos recepimus, nobis sæpe perutiles, quibus pro posse assensuimus.

Aliquot pharmaca suppressimus jam raro vel nunquam adhibita, quæ perstare nulla ratio suppeditabat. Plura alia rejicere potuerimus quorum vis curativa valde impugnatur, quæ tamen frequenter præscribuntur; usum secuti, illa in *Pharmacopœa* servavimus ut eorum compositio in omnibus regni officinis sit una et eadem.

Pharmaca nova summa cum prudentia delegimus; illa tantum admisimus quæ vere utilia videntur et quæ jam in praxim medicorum venerunt.

Longius esset causas vel minimas exponere, quare immutavimus quosdam articulos *Pharmacopœæ* anni 1885 in præsenti editione servatos; indicabimus tantum principia præcipua quæ secuti sumus.

Pharmacorum simplicium naturam definivimus botanicam tantum sed præcise plantæ adhibitæ speciem et partem indicando. E gradationibus quas præscribimus pulverum, tincturarum et extractorum quarumdam ex ipsis, facile dignoscitur pharmacorum genuitas. Minutiora præcepta negleximus quia legibus e jure communi, circa fraudes et adulterationes, etiam pharmaca obnoxia sunt.

Has tamen notas non sufficere æstimavimus ubi de quibusdam *productis immediatis* agitur v. g. balsamis, gummi-resinis, essentiis, oleis,

adipibus, ceris, etc.; pro his substantiis tentamina præscribimus quibus adulterationes frequentiores deteguntur.

Pharmacorum galenicorum formulas tradentes, rationes inter materiam primam et productum obtinendum nisi sumus simplices et uniformes assequi. Gradationes numericas exegimus : æstimationem cinerum in pulveribus, residui sicci in tincturis et extractis fluidis, et, in quantum possibile, computationem principii activi.

Pharmaca naturalia quæ sunt medicamina fortiora uti opium, strychni semen, belladonnæ folia, etc., tenores principii activi valde variabiles habere possunt; ex his igitur medicamina parari nequeunt eadem vi prædita, nisi in eis vis ipsa æstimetur et tenor idem præscribatur. Illas computationes Pharmacopœa præscribit quando in medicaminibus reperiuntur substantiæ activæ, optime definitæ, quæ sejungi et æstimari possunt.

Maxime interest ut medicamina heroica non in unius tantum nationis, sed et in omnium gentium cultarum officinis eadem sint. Quare statuta secuti sumus *Conferentiæ internationalis de medicaminibus heroicis unificandis*, Bruxellis mense septembri anno 1902 habitæ.

Ut certa medicamina ex tempore parari possint usum admisimus multorum extractorum fluidorum.

De quibusdam medicaminibus officinalibus, æstimavimus in *Pharmacopœa*, ubi de ipsa vi medicata res est, regulas districtas et præcisas esse ponendas, non ita vero circa substantias quasdam in modum vehiculi vel excipientis adhibitas. Ita, vina officinalia quod attinet, *Pharmacopœa* non certam vini speciem præscribit sed quodlibet vinum permittit modo certis generalibus notis gaudeat; item circa oleum ad olea medicata adhibitum; circa materias quibus conteguntur capsulæ et margaritæ; circa excipientia ad compressa fabricanda, etc.

Principium servavimus pharmacopolam ipsum omnia medicamina galenica parare censeri. Unde tentamina describere ad ipsorum naturam et puritatem verificandas idonea negligere potuimus.

Ad quærendum an forte adulterata vel falsificata fuerint, regulæ consuetæ adhibeantur.

In redigendis articulis de medicaminibus chemicis non eodem modo procedendum censuimus. Quibusdam fere exceptis, ea composita nostra ætate e fabricis hauriuntur. Modum ea parandi describere præterire potuimus; puritatis autem tentamina uberius descripsimus.

Ista sunt : proprietatum physicarum constatatio, identificationis reactiones, et tentamina ad aperiendas falsificationes et adulterationes idonea.

Hoc ultimum quod attinet, frequentiores tantum falsificationes et adulterationes prævidere potuimus; ceteræ inquirendæ sunt normas scientificas ordinarias sequendo.

Modum operandi, quam præcisissime et sæpe in minimis, ex consulto descripsimus, et pondera in tentamine adhibenda statuimus. Reactiones-limitantes descripsimus districtissime exigendas, quominus substantiæ non satis puræ usui idoneæ declarentur, vel vice versa, quominus substantiæ optime fabricatæ ab usu rejiciantur.

In liquoribus gradatis parandis et ad analysim pondera atomica adhibuimus non ita exacta quod ad finem intentum sufficit.

Veterinariorum medicaminum quorumdam formulas in *Pharmacopœa* servavimus. Ceterum, omnia medicamina ad medicinam veterinariam adhibenda eodem plane modo pura et gradata esse debent ac medicamina ad medicinam humanam.

Articulos in *Pharmacopœa* disposuimus, sicuti in editione anni 1885, juxta ordinem alphabeticum nominum latinorum, sed nomina ipsa frequenter immutavimus.

Pharmaca, quod attinet, et eorum præparata, primo loco terminum genericum posuimus, postea plantæ partis adhibitæ nomen vel formam pharmaceuticam. Ita, per seriem, et successive, invenitur pharmacum simplex ejusque præparata.

Salium nomenclaturam adoptavimus apud gentes vicinas generatim

vigentem; terminus princeps metallum vel alcaloideum designat; sequitur terminus specificans naturam acidi.

Pharmacopœæ præcepta adhibens, nisi aliter notetur, has sequere regulas generales :

Pharmaca naturalia (plantarum partes) sicca adhibeantur.

Quotiescumque verbum « pars » quantitatem designat, de parte ponderali intelligatur.

Temperaturæ gradus observentur thermometro centigraduo; operationes pharmaceuticæ efficiuntur generatim temperatura ordinaria, i. e. circa 15°.

Determinationes analyticæ, nisi speciatim notetur, gradu 15° efficiantur.

Aqua adhibita semper sit aqua destillata descripta verbo *Aqua* p. 29.

Solutorum vis indicatur per relationem inter pondus substantiæ solutæ et soluti obtenti pondus. Exempli gratia liquor aquosus kalii bromati 1 : 10 paratur solvendo 1 gr. kalii bromati in 9 gr. aquæ, quod præbet soluti 10 gr.

Cum inveneris, « *solutum* » quin solvens indicetur, semper intellige « solutum aquosum ».

Reagens aliquod ad probandum medicamen citatum, illud est quod in reagentium indice invenitur.

Cum in quodam præparato, a *Pharmacopœa* requiritur alicujus principii talis minimalis dosis, hæc prescriptio strictissime intelligetur. Rejiciatur omne pharmacum hac minima ratione principii non præditum.

Si alicujus ingredientis certus tenor præscribatur quin addatur tenorem hunc maximum vel minimum esse, intellige tolerari posse leves differentias ipsis modis inhærentes quibus pharmacum paratur vel gradatur.

Cum in *Pharmacopœa* medicamen quoddam prævidetur posse diverse concentratum esse, si medicamen simpliciter enuntiatur, intellige rem esse de medicamine sic notato. Exempli gratia, *Pharmacopœa* describit acidum chlorhydricum sub duplici concentrationis statu : *Acidum chlorhydricum* in quo 36,5 p. c. gaz acidi chlorhydrici et

Acidum chlorhydricum dilutum in quo 7,3 p. c. ejusdem gaz continentur; si præscribatur, acidum chlorhydricum, absque ulla mentione, uti debes medicamine sub verbo *Acidum chlorhydricum* relato. Non præstabis neque in usum habebis acidum chlorhydricum dilutum, nisi in præscriptione notetur.

Pharmacopœa in duas partes dividitur :

Prima describit medicamina, eorum præparata et analysim.

Altera continet regulas de reagentibus, descriptionem aliquot modorum analyticorum, tabulas alcoholometricas, tabulas formularum chemicarum et solubilitatis multorum medicaminum.

Insuper continet indices plures vi legum vel regularum statutos, qui sunt :

a) Index instrumentorum necessariorum;
b) Index medicaminum necessariorum;
c) Index medicaminum procul a luce servandorum;
d) Index medicaminum heroicorum;
e) Tabula de maximis dosibus.

PRIMA PARS

ABSINTHII EXTRACTUM.

℞.	Absinthii herbæ	Q. V.
	Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum firmum quod 10 p. c. circiter aquæ contineat.

ABSINTHII HERBA.

Herba *Artemisiæ absinthii* (L.) quam florentem colliges, caulis ejus duriores partes rejiciendo.

Folia habet ex utraque parte tomentosa, flores in paniculos dispositos, flosculos omnes tubulosos, in parvos lutei coloris capitulos aggregatos.

Herba gaudet odore intense aromatico et sapore amaro.

ABSINTHII TINCTURA.

℞.	Absinthii herbæ	200
	Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 2,50 p. c. residui sicci relinquat.

ACACIÆ GUMMI.

Arabicum gummi.

Succus gummosus, sponte spissatus, plurium specierum generis *Acaciæ.*

Frustulis constat ovatis vel globosis, albis aut albo-flavescentibus, vitrei aspectus, fracturæ conchoideæ, absque odore, saporis fatui, mucilaginosi.

Duabus aquæ partibus omnino solvitur, solutionem præbens limpidam, coloris fere expertem, reactionis leviter acidæ; cui si æqua pars alcoholis addatur, gummi præcipitatur. Ex eadem solutione, etiam

valde diluta, admixto plumbo subacetico soluto, gummi præcipitatur.

Dum acaciæ gummi siccatur, 15 p. c. circiter partes amittit; cujus cinerum pondus ne 5 p. c. prætereat.

ACACIÆ GUMMI MUCILAGO.

Aqua gummosa.

R.	Acaciæ gummi	100
	Aquæ	900
		1000

ACETANILIDUM.

Antifebrinum.

Lamellæ crystallinæ, coloris expertes, fulgidæ, odore carentes, saporis vix pungentis, solubiles in 230 partibus aquæ frigidæ, 22 partibus aquæ bullientis, 3,5 partibus alcoholis, 18 partibus ætheris et facilius in chloroformio; liquescentes calore 113° ad 114°, quarum liquor ebullit calore 295°.

Calefactum cum natrio hydrico soluto, acetanilidum vapores anilini emittit, et. diutius calefactum, adauctum aliquibus guttis chloroformii, odorem isonitrili spargit.

Solutio aquosa saturata et frigida neutra est cum lacca musci nec mutat colorationem solutionis dilutæ ferri sesquichlorati.

Miscela acetanilidi et acidi nitrici non coloratur agitatione.

0,20 gr. acetanilidi dissolvuntur sine coloratione in 2 c. c. acidi sulfurici.

0,10 gr. acetanilidi comburuntur, quin residuum æstimabile relinquant.

ACETUM.

R.	Acidi acetici	60
	Aquæ	940
		1000

ACETUM AROMATICUM.

R.	Coloniensis aquæ	930
	Benzoës tincturæ.	10
	Acidi acetici	60
		1000

ACETYLPARAMIDOPHENOLUM SALICYLICUM.

Pulvis crystallinus, e flavido albus, odoris et saporis expers, insolubilis in aqua frigida, parum solubilis in aqua calida et in alcohole,

solubilis in æthere, liquescens ad 187°-188° et flagrans absque notabili residuo.

Cum natrio hydrico soluto calefactum, acetylparamidophenolum salicylicum dimidiatur in acidum salicylicum et in acetylparamidophenolum; miscelam acidula et ope ætheris extrahe; decantha et evapora solutionem ætheream; residuum præbebit reactiones acidi salicylici.

Solutio quam obtines, si calefacias in aere aliquot centigrammata acetylparamidophenoli salicylici in natrio hydrico soluto diluto, cæruleum assumit colorem, qui transit in rubro-flavum, et, solutione refrigerata et agitata, iterum cærulescit.

ACIDI BORICI UNGUENTUM.

R. Acidi borici pulveris tenuissimi	100
Unguenti simplicis	900
	1000

Intime commisce.

ACIDI CITRICI SIRUPUS.

Limonis sirupus.

R. Acidi citrici	20
Aquæ	20
Sirupi simplicis	950
Citri spiritus	2
Alcoholis	8
	1000

ACIDI TANNICI GLYCERITUM.

R. Acidi tannici	150
Glyceriti amyli	850
	1000

ACIDUM ACETICUM.

Acidum aceticum crystallisans.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris pungentis, saporis acidissimi, caustici, omnino volatilis, omni ratione miscibilis cum aqua, alcohole et æthere. Capitur in massa crystallina per refrigerationem et ebullit circa 117°. Ad summum 4 p. c. aquæ continere potest. Pondus specificum non ultra 1,064 progredi potest et indiges ad minus 16 c. c. liquoris normalis natrii hydrici ad saturandum 1 gr. acidi acetici.

Miscela 5 c. c. acidi acetici et 15 c. c. aquæ, adaucta 1 c. c. kalii

permanganici soluti, tingitur rubescente colore, saltem ad 10 minuta perstante.

Aequali volumine acidi sulfurici adauctum, acidum aceticum, etiam calefactum, non rubescit. Hæc miscela, quamdiu calida, tenet cæruleum colorem ex additionei guttæ indici soluti provenientem.

Acidum aceticum (5 c. c.), 1 ad 2 guttis anilini auctum, non rubescit.

Hydrargyrum nitricum oxydulatum non efficit præcipitatum in acido acetico, antea æquali volumine aquæ adaucto.

Pondere aquæ vicies multiplicato dilutum, acidum aceticum non præcipitatur neque baryo nitrico, neque argento nitrico, neque acido sulfhydrico.

1 c. c. acidi acetici, cum 3 c. c. stanni chlorati soluti mixtum, non induatur fusco colore, etiam hora elapsa.

Servetur in vase apprime clauso.

ACIDUM ACETICUM DILUTUM.

R. Acidi acetici	300
Aquæ	700
	1000

ACIDUM BENZOICUM.

Aciculæ albæ aut ex albo flavescentes, sericeæ, sine odore aut tenuem odorem aromaticum spargentes, saporis leviter acidi.

Acidum benzoicum liquescit calore 120°-121° et ex integro sublimatur majore calore; solvitur in 380 partibus aquæ frigidæ et in 15 partibus aquæ ebullientis, in alcohole, æthere, carboneo sulfurato, chloroformio, benzolo, oleis et essentiis.

Solutio aquosa frigida cum ferro sesquichlorato generat præcipitatum limpide flavum; præcipitatum evanescit quando agitatur cum æthere.

Cum excedente natrio hydrico soluto calefactum, acidum benzoicum non emittat ammoniam.

0,10 gr. acidi benzoici dissolvuntur in 5 c. c. aquæ ebullientis, additis 0,10 gr. kalii permanganici et in vase clauso refrigeratis, liquor frigidus non emittat odorem benzaldehydi.

0,20 gr. acidi benzoici miscentur cum 0,30 gr. calcii carbonici et miscela desiccatur ac calcinatur; residuum, cum 10 c. c. aquæ mixtum, solvitur excedente acido nitrico; solutio argento nitrico vix turbetur.

ACIDUM BORICUM.

Lamellæ crystallinæ, albæ et fulgentes, tactu unguinosæ, sine odore, saporis leviter acidi et amari.

Acidum boricum solvitur in 26 partibus aquæ calore 15° et in 3 partibus aquæ ebullientis. Solvatur oportet ex integro in alcohole; etiam in glycerino solvitur; quibus liquoribus tribuit ut cum viridi flamma comburantur. In æthere parum solubile est.

Sub intenso calore tumescit, liquescit et fit massa vitrea et pellucida.

Solutio aquosa acidi borici, laccam musci tingit rubro vinoso; non habet influxum in methylanilinum sicut acida mineralia fortia.

Fasciola chartæ exploratoriæ luteæ, imbuta solutione aquosa acidi borici, in qua continetur vel minima pars acidi chlorhydrici, desiccatione infuscatur; ammonium hydricum solutum colorem fuscum in obscure cæruleum vertit

Solutio aquosa acidi borici 1:40 non dat præcipitatum ope acidi sulfhydrici, baryi nitrici, argenti nitrici, aut quando, ammonio hydrico supersaturata, augetur ammonio sulfurato, oxalico vel phosphorico. Cum ammonio sulfurato, hic liquor ammoniacalis colore leviter viridante indui poterit.

ACIDUM BORICUM SOLUTUM.

R. Acidi borici	35
Aquæ	965
	1000

ACIDUM CARBOLICUM.

Acidum phenicum.

Massa crystallina, seu acus decolores, aliquando roseæ, odoris specialis, saporis urentis, caustici.

Acidum carbolicum ex integro solvitur in 15 partibus aquæ et generat liquorem limpidum quo lacca musci non rubescit; cito solvitur in alcohole, æthere, chloroformio, glycerino, carboneo sulfurato et in natrio hydrico soluto. Sub influxu caloris liquescit 40°-42°, præstans liquorem valde refringentem et ebullit 178°-182°. Flagrans emittit lucidam flammam.

Solutio aquosa acidi carbolici generat præcipitatum album flocceum per multam aquam bromatam; ope ferri sesquichlorati fit violacea.

Acidum carbolicum, balneo vaporis calefactum, sine sensibili residuo avolat.

Servetur prudenter in vasis apprime clausis.

ACIDUM CARBOLICUM LIQUEFACTUM.

Acidum phenicum liquefactum.

R. Acidi carbolici	100
Aquæ	10

100 partibus acidi carbolici balneo aquæ moderate calefactis, misce massæ liquidæ 10 partes aquæ.

Sit liquidum limpidum, coloris nullius vel leviter rosei, odorem emittens acidi carbolici. P. S. : 1,068-1,069.

Si 10 c. c. acidi carbolici liquefacti addantur 2-3 c. c. aquæ calore 15°, non turbatur liquidum. Additis postea 8-10 guttis aquæ, incipit turbari, nec iterum inclarescit nisi agitatum cum 135 c. c. aquæ ad minus et 140 c. c. ad summum.

Caute servandum.

ACIDUM CHLORHYDRICUM.

Acidum hydrochloricum.

Liquidum coloris expers, limpidum, fumans in aere, odoris valde pungentis. P. S. : 1,186 ad minus.

Calefactum, sine residuo avolat; non demit colorem indici.

Aqua dilutum 1 : 4 et ammonio hydrico quasi saturatum, non dat præcipitatum ope acidi sulfhydrici; non induit colorem cæruleum ope cadmii iodati cum amylo, et non turbatur ope baryi nitrici, nec directe, nec addita prævie aqua iodata; vel nullo colore, vel leviter roseo tingitur ope ammonii thiocyanati.

Si 1 c. c. acidi chlorhydrici addas 3 c. c. stanni chlorati soluti, liquidum frigidum non obfuscetur, etiam hora elapsa.

1 gr. acidi chlorhydrici ad minus 10 c. c. liquoris normalis natrii hydrici saturet.

Caute servandum.

ACIDUM CHLORHYDRICUM DILUTUM.

Acidum hydrochloricum dilutum.

R. Acidi chlorhydrici	200
Aquæ	800
	1000

P. S. : 1,037.

10 gr. acidi chlorhydrici diluti saturant 20 c. c. liquoris normalis natrii hydrici.

ACIDUM CITRICUM.

Crystalla prismatica, coloris expertia, pellucida, sine odore, saporis acidi amœni, in aere immutabilia.

Acidum citricum solvitur in quantitate aquæ frigidæ suo pondere minore, facile in alcohole, difficilius in æthere.

Incalescens, prius quidem liquescit in sua aqua crystallisationis,

postea vero hanc aquam amittit, vapores acres atque pungentes edit ac tandem comburitur quin relinquat cineres ultra 0,5 p. c.

1 c. c. solutionis aquosæ 1 : 10 et 40-50 c. c. calcii hydrici soluti commixta generant liquidum limpidum in frigore; quod si mixtura per minutum ad ebullitionem veniat, formatur præcipitatum album, floccum, quod, liquido in vase clauso refrigescente, evanescat oportet ad summum intra 3 horas.

Acidi citrici solutio 1 : 10 non dat præcipitatum ope ammonii oxalici; sed, addito acido chlorhydrico, leviter turbari potest baryo nitrico.

Fere ex integro saturata ammonio hydrico, solutio 5 gr. acidi citrici in 10 gr. aquæ nec vere obfuscari nec præcipitatum fuscum aut nigrum dare potest ope acidi sulfhydrici.

Si 1 gr. acidi citrici contriti et 10 gr. acidi sulfurici intromittantur in tubum probatorium, et si per horam balneo aquæ incalescant, liquidum non fit fuscum aut opacum; quadamtenus inflavescere poterit, sed pellucidum permanebit.

1 gr. acidi citrici in 3 c. c. aquæ soluto, et, post additionem 1 gr. kalii acetici, liquido fortiter agitato, ne quidem hora elapsa, vel minima appareat crystallisatio.

ACIDUM GALLICUM.

Aciculæ sericeæ, albæ vel ex albo flavescentes, odoris expertes, saporis adstringentis et aciduli.

Acidum gallicum solvitur in 100 circiter partibus aquæ frigidæ et in 3 partibus aquæ ebullientis et hæ solutiones acidæ sunt; solvitur etiam in alcohole et in glycerino, minus in æthere. Prudenter calefactum, generat sublimatum album acidi pyrogallici. Ad rubrum candens, comburitur quin relinquat residuum perceptibile. Ad 100° exsiccatum, amittit 9,5 p. c. aquæ.

Solutio aquosa cum ferro sesquichlorato generat præcipitatum cæruleum, obscure violaceum, non præcipitat solutiones albumini, gelatinæ aut alcaloideorum. Acido chlorhydrico adaucta, non turbatur baryo nitrico.

Servetur a luce remotum.

ACIDUM HYDROCYANICUM DILUTUM.

Liquidum incolor, odoris peculiaris, laccam musci leviter rubefaciens, ex integro volatile.

Aliquot centimetris cubicis hujus liquidi adde excedens natrium hydricum, dein solutionem ferri sulfurici; quæ agitata aliquamdiu

mixta remaneant; editur præcipitatum cæruleum si miscéla augeatur excedente acido chlorhydrico.

Acidum hydrocyanicum dilutum non præcipitetur baryo nitrico.

5 gr. acidi hydrocyanici diluti adde 10 c. c. aquæ et paululum natrii hydrici soluti excedentis, dein grada ope liquoris decinormalis argenti nitrici, donec edatur præcipitatum quod agitatione non evanescat. Indiges 18,5 c. c. liquoris gradati, quod indicat 2 p. c. partes acidi hydrocyanici.

Servetur a luce remotum in lagenis bene clausis.

ACIDUM LACTICUM.

Liquidum limpidum, coloris nullius vel leviter flavescentis, siruposum, odoris expers, saporis valde acidi, attrahens aeris humorem; cum aqua, alcohole et æthere in quacumque proportione misceri potest. P. S. : 1,21-1,22.

Cum kalio permanganico soluto calefactum, edit odorem acetaldehydi.

In lamina platinea calefactum, comburitur sine æstimabili residuo. In tubo probatorio moderate calefactum, odorem acidorum volatilium seriei aceticæ non emittat.

Immissum in tubum probatorium antea purificatum acido sulfurico, et adauctum æquali quantitate hujus acidi, nullum assumat colorem.

Acido sulfhydrico, baryo nitrico, argento nitrico, ammonio oxalico non præcipitatur acidi lactici solutio aquosa 1 : 10.

Aucta usque ad reactionem alcalinam calcio hydrico soluto, prævie cocta et filtrata, solutio item concentrata non dat præcipitatum, neque frigida, neque calida.

1 c. c. acidi lactici guttatim intromisso in 2 c. c. ætheris, mixtum nec transitorie nec permanenter turbetur.

Natrio carbonico neutralisatum, acidum lacticum non reducit cuprum tartaricum natronatum solutum.

2 partibus aquæ dilutum, non præcipitatur ope plumbi subacetici soluti.

Acidum lacticum saturatur ope zinci oxydati, avolat siccitate et exhauritur alcohole absoluto; solvens avolans non deponat residuum crassum ut sirupus saporis saccharati quod redoleat acroleinum, si cum kalio bisulfurico calefiat.

1 gr. acidi lactici saturat ad minus 8 c. c. liquoris normalis natrii hydrici, ita ut non infra 72 p. c. acidi lactici contineat.

Servetur in vasis bene clausis.

ACIDUM NITRICUM.

Liquidum limpidum, quasi incolor, odoris pungentis. P. S. : 1,39.

Calefactum, avolat sine residuo.

5 aquæ voluminibus dilutum et ammonio hydrico fere ex toto saturatum, nec acido sulfhydrico, nec argento nitrico, nec baryo nitrico præcipitatur. His tamen duobus ultimis reagentibus acidum nitricum leviter opalescere poterit.

Acido nitrico 10 aquæ voluminibus diluto et ammonio hydrico supersaturato, ac dein ammonio sulfurato adaucto, nullum prostet præcipitatum; hisce datis, leviter viridescere poterit mixtura.

2 aquæ voluminibus dilutum, acidum nitricum aliquot guttulas chloroformii, quibuscum agitatum fuerit, colore violaceo non tingit, etiam additis quibusdam guttis arsenicalis liquoris Fowleri.

1 gr. acidi nitrici 10 c. c. liquoris normalis natrii hydrici saturet.

Servetur a luce remotum.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

R. Acidi nitrici	200
Aquæ	800
	1000

P. S. : 1,072.

10 gr. acidi nitrici diluti saturant 20 c. c. liquoris normalis natrii hydrici.

ACIDUM PHOSPHORICUM.

Liquidum limpidum, odoris expers, continens circiter 10 p. c. acidi orthophosphorici. P. S. : 1,056-1,057.

Bis suo volumine aquæ dilutum, ac dein ammonio hydrico neutralisatum, acidum phosphoricum generat, ope argenti nitrici, præcipitatum flavum, in ammonio hydrico soluto et in acido nitrico solubile.

Non coagulat albuminum; 4 voluminibus alcoholis adauctum, non turbatur.

Evaporatum relinquit residuum, quod, ad levem rubescentiam calefactum, non nigrescat.

Ope argenti nitrici non amittit limpiditatem et non induit obscuriorem colorem, nec frigidum nec calefactum.

Non præcipitatur ope acidi sulfhydrici.

Nequaquam immediate turbetur ope baryi nitrici.

2 voluminibus aquæ dilutum, limpidum manet, si supersaturetur ammonio hydrico; hac miscela, ammonio sulfurato aut ammonio oxalico adaucta, nullum generatur præcipitatum.

Si 2 c. c. acidi phosphorici addantur 2 c. c. acidi sulfurici, si dein agitetur et refrigeretur liquidum et prudenter ad superficiem ejus apponatur 1 c. c. ferri sulfurici soluti, non appareat zona fusca ubi se tangunt.

1 c. c. acidi phosphorici mixtum cum 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur, etiam hora elapsa.

ACIDUM PYROGALLICUM.

Lamellæ vel aciculæ albæ, sericeæ, levissimæ, saporis amari, liquescentes calore 131°-132°, avolantes sine residuo, solubiles in circiter 2 partibus aquæ, in alcohole et in æthere.

Solutio aquosa tantisper acida est; in aere paulatim obfuscatur; ope alcalorum obscuratur usque ad nigredinem; solutione diluta ferri sulfurici, recenter parata, tingitur colore cæruleo-indico; ferro sesquichlorato induitur colore fusco, rubescente.

Acidum pyrogallicum reducit solutiones salium hydrargyri, auri et argenti.

A luce remotum servetur.

ACIDUM SALICYLICUM.

Aciculæ albæ, aut pulvis crystallinus, odore carens, saporis peculiaris.

Acidum salicylicum solubile est in circiter 500 partibus aquæ frigidæ et 15 partibus aquæ bullientis, facillime in alcohole. in æthere et in chloroformio.

Liquescit calore 156°-157°. Caute calefactum, sublimatur quin immutationem subeat; si subito calefiat, decomponitur spargens odorem acidi carbolici, et sine residuo comburitur.

Solutio aquosa acidi salicylici fit violacea ope ferri sesquichlorati; profert abundans præcipitatum flocceum album, si apponatur excedens aqua bromata.

Acido salicylico in excedente solutione aquosa natrii carbonici 1 : 10 soluto et cum æthere agitato, liquidum solvens, si evaporetur, relinquit residuum vix sensibile, non spargens odorem acidi carbolici.

Crystalli ex evaporata solutione acidi salicylici in alcohole absoluto orientes sint candide albæ.

1 parte acidi salicylici in 6 partibus acidi sulfurici frigide soluta, liquidum proveniens non sit vere fuscum post 20 minuta; flavescere autem poterit.

Solutio alcoholica 1 : 10, acido nitrico acidulata, non præcipitatur ope argenti nitrici.

ACIDUM SULFURICUM.

Liquidum limpidum, coloris et odoris expers, oleaceum. P. S. : 1,836-1,840.

In capsula platinea calefactum, ex toto avolat.

1 parte acidi cum 5 partibus alcoholis prudenter mixta, liquidum, etiam quodam tempore elapso, limpidum maneat.

Probatio in apparatu Marshiano cum 10 gr. acidi non suppeditat arsenicum.

20 partibus aquæ dilutum, acidum sulfuricum non efficiat præcipitatum ope argenti nitrici.

10 c. c. miscelæ 1 partis acidi sulfurici cum 5 partibus aquæ non immediate in frigore decolorent 3-4 guttas kalii permanganici soluti.

Si in tubo probatorio 1 c. c. ferri sulfurici soluti prudenter superponatur 2 c. c. acidi sulfurici, non producatur zona fusca aut rubra ubi se invicem tangunt.

Si 2 c. c. acidi sulfurici prudenter addantur 2 c. c. acidi chlorhydrici, aucta 0,05 gr. natrii sulfurosi, nec zona rubra appareat ubi duo liquida se tangunt frigida, nec præcipitatum rubrum si miscela calefiat.

Acidum sulfuricum, 10 voluminibus aquæ dilutum, supersaturatur acido sulfhydrico, calore 40°; post 48 horas quietis, liquidum non relinquat nisi sulphurem.

1 gr. acidi sulfurici saturat ad minus 19,8 c. c. liquoris normalis natrii hydrici.

Caute servandum.

ACIDUM SULFURICUM DILUTUM.

R. Acidi sulfurici.	100
Aquæ	900
	1000

Acidum prudenter in aquam infunde et apte misce.

P. S. : 1,068.

10 gr. acidi sulfurici diluti saturant 20 c. c. liquoris normalis natrii hydrici.

ACIDUM TANNICUM.

Pulvis aut paleolæ albido-flavescentes, tenuem odorem singularem spargentes, saporis valde adstringentis.

Acidum tannicum in aqua, alcohole et glycerino solvitur, non vero in æthere absoluto.

Solutio aquosa laccam musci rubedine tingit et efficit præcipitatum

cum solutione gelatinæ. Ope ferri sesquichlorati generat præcipitatum cæruleum nigrescens, solubile in acidis mineralibus.

Si agites 2 c. c. solutionis aquosæ 1 : 6 cum æquali volumine alcoholis, mixtura limpida manet, nec turbatur si addas 1 c. c. ætheris.

Dessiccatum calore 100°, acidum tannicum non ultra 13 p. c. sui ponderis amittat.

0,50 gr. acidi tannici comburuntur sine residuo.

ACIDUM TARTARICUM.

Crystalla prismatica, sæpe agglutinata, sine colore aut odore, pellucida, in aere immutabilia, saporis acidi, solubilia in 0,8 partibus aquæ frigidæ et in 2,5 partibus alcoholis, multo minus in æthere.

In tubo clauso calefactum, acidum tartaricum emittit odorem sacchari tosti et carbonescit.

Solutio aquosa 1:3 efficit cum kalio acetico præcipitatum album crystallinum, solubile in excedente ammonio hydrico soluto.

Miscela acidi tartarici et acidi sulfurici calefacta nigrescit.

Solutio aquosa 1:10 limpida est; nec baryo nitrico, nec ammonio oxalico immediate præcipitatur; ita aucta ammonio hydrico ut aciditas quasi tollatur, non præcipitatur calcio sulfurico.

Si solvas 5 gr. acidi tartarici in 10 c. c. aquæ, et si addas ammonium hydricum ita ut omnis fere aciditas solutioni dematur, liquidum ope acidi sulfhydrici flavescere poterit sed nequaquam fortiter obfuscari aut nigrum efficere præcipitatum.

0,50 gr. acidi tartarici comburuntur sine residuo.

Ad saturandum 1 gr. acidi tartarici indiges ad minus 13,3 c. c. liquoris normalis natrii hydrici.

ACONITI PULVIS.

Aconiti tuberis pulvis n° 40.

Aconiti pulvis calore 100° siccatus 0,80 p. c. alcaloideorum continere debet.

Alcaloideorum computatio. — Vase cylindrico include 12 gr. aconiti pulveris calore 100° prius siccati; adde 90 gr. ætheris et 30 gr. chloroformii; vehementer conquassa; adde dein 10 c. c. miscelæ natrii hydrici soluti et aquæ æqui ponderis. Frequenter per 3 horas commove. Adde 10 c. c. aquæ et amplius, si necesse sit, ut pulvis bene glomeretur; super chartam siccam et coopertam decantha liquorem superiorem æthero-chloroformicum, limpidum, et colaturæ collige 100 gr. in parvam ampullam; partem ad mediam abdestilla; reliquum in ampullam separatoriam mitte, ampullamque ternis vicibus elue ope

5 c. c. mixturæ e 3 partibus ætheris et 1 parte chloroformii constantis. Elutorios liquores in ampullam separatoriam infunde et, additis 25 c.c. liquoris acidi chlorhydrici centinormalis, vehementer conquassa. Adde si necesse sit, ætheris quantum satis ut solutio æthero-chloroformica superemineat. Aquosam solutionem acidam collige et per chartam madefactam filtra; solutionem æthero-chloroformicam ope 10 c. c. aquæ ternis vicibus elue; aquam elutoriam per eamdem chartam filtra et cum solutione acida collige; chartam ipsam denique aqua elue. Filtratum immitte in lagenam cylindricam e vitro decolori factam; 100 c. c., addita aqua sufficienti, perfice, dein adde 5 guttas iodeosini soluti et ætheris quantum satis ut ad 1 centimetri crassitudinem enatet. Denique liquorem centinormalem natrii hydrici paulatim adde, post additiones singulas movendo, donec solutio aquosa pallide rosea eveniat.

Differentia inter 25 et numerum centimetrorum cubicorum liquoris centinormalis natrii hydrici adhibitorum æquivalet numero centimetrorum cubicorum liquoris centinormalis acidi chlorhydrici, quibus indiges ut alcaloidea satures 10 gr. pulveris. Hanc differentiam multiplica per coefficiens 0,00645; multiplicando productum per 10, habebis pondus alcaloideorum pro centum grammatibus pulveris.

Si mensura prætergreditur 0,80 p. c., ad hunc gradum adducatur addendo saccharum lactis.

ACONITI SIRUPUS.

R. Aconiti tincturæ	50
Sirupi simplicis	950
	1000

ACONITI TINCTURA.

R. Aconiti tuberis	50
Alcoholis 70°	Q. S.

Percolando fac tincturam quæ saltem 0,05 p. c. alcaloideorum contineat.

Alcaloideorum computatio. — In ampullam separatoriam immitte 20 gr. aconiti tincturæ et 12 c. c. aquæ. Adde 1 c. c. solutionis aquosæ natrii carbonici ad 33 p. c., et, additis 50 c. c. ætheris, per 5 minuta fortiter agita. Liquidis perfecte elimpidatis, massam aquosam (A) sepone; ætheri in ampullam separatoriam adde 3 c. c. aquæ, fortiter agita et liquidum omnino elimpidatum sepone apud liquidum (A). Solutionem ætheream (B) in lagunculam 200 gr. infunde. Liquidum aquosum (A) binis vicibus agita cum 25 c. c. ætheris, 10 p. c. alcoholis continentis; solutiones æthereas decolora agitando eas cum 1,5 c. c. aquæ, easque dein conjunge cum liquido æthereo (B). Ex quo

aquam expelle, agitando illud cum 2 ad 3 gr. calcii sulfurici usti; post perfectam elimpidationem filtra ope chartulæ et filtratum in ampullam separatoriam collige. Lagunculam et chartulam æthere lava. Solutionem ætheream fortiter agita cum 20 c. c. liquoris centinormalis acidi chlorhydrici. Solutionem aquosam acidam, omnimode elimpidatam filtra ope chartulæ prius aqua madefactæ, et collige in lagenam cylindricam e vitro decolori; ætherem adhuc ternis vicibus agita cum 10 c. c. aquæ; liquida aquosa elimpidata per eamdem chartulam filtra, iterum elue aqua, et, addendo aquam, liquida ad 100 c. c. auge. Adde 5 guttas iodeosini soluti et ætherem ad crassitudinem 1 centimetri et retrorsum grada ope liquoris centinormalis natrii hydrici, fortiter agitando post unamquamque additionem liquoris gradati, donec liquor aquosus pallide roseum induat colorem.

Differentia inter 20 et numerum centimetrorum cubicorum liquoris centinormalis natrii hydrici adhibitorum æquivalet numero centimetrorum cubicorum liquoris centinormalis acidi chlorhydrici quibus indiges ut alcaloidea satures 20 gr. aconiti tincturæ. Hanc differentiam multiplica per coefficiens 0,00645. Multiplicando productum per 5, obtines pondus alcaloideorum 100 gr. tincturæ.

Ope alcoholis 70° dilue, ita ut habeas tincturam 0,05 gr. p. c. alcaloideorum continentem.

ACONITI TUBER.

Tuber anniculum, siccum, *Aconiti Napelli* (L.).

Conicum est vel elongatum, superne vestigia gemmatum, inferne radiculos aliquot præbens; 3 ad 6 cent. longum est, 2 ad 3 cent. crassum ubi maximum diametrum; exterius intense fuscum, plus minusve striatum; intus firmum, album ut farina.

Sapor ejus prius dulcis, dein acer cum formicationis sensu.

Tuber celeriter siccandum est et sicco vase servandum.

ADEPS SUILLUS.

Axungia.

Panni porcini post fusionem colatus adeps.

Qui albus est, mollis, homogeneus, odoris fere expers, saporis dulcis. Circa 36° liquescit; liquor iste limpidus et incolor. Cujus pondus specificum calore 100° stat inter 0,858 et 0,861, respective ad aquam in 15°.

Aqua fervens nullas aut vix ullas partes fixas aufert ab eo.

Si 5 gr. axungiæ solvantur 10 c. c. chloroformii, addanturque 10 c. c. alcoholis et 1 gutta phenolphthaleini soluti, post agitationem

color ruber appareat oportet, dummodo 0,2 c. c. natrii hydrici liquoris normalis immixta fuerint.

Misce 2 c. c. axungiæ fusæ, 2 c. c. alcoholis amylici et 2 c. c. carbonei sulfurati, quod 1 p. c. sulphuris soluti contineat; tubum, hanc mixturam continentem, per 15 saltem minuta in aqua ferventi serva; nullus appareat color rubens vel roseus.

Index iodi axungiæ aqua expertis sit inter 46 et 66; index saponificationis infra 194 stare nequit.

ADRENALINUM.

Capsulæ suprarenales continent principium activum (circiter 0,12 pro mille apud ovem et 0,75 pro mille apud bovem) nomine adrenalini, epinephrini, suprarenidini, suprarenini, etc., quod maxima gaudet potestate pressuram sanguinis augendi et vasa coarctandi.

Hoc principium activum, chemice vix definitum, solvitur in acidis, quibuscum sales generat. Quasi exclusive adhibetur sub forma adrenalini hydrochlorici, in solutione 1 : 1000, dicta «solutione matre» vel in compressis, ubi adhibentur solvendis.

Solutio aquosa leviter rosea est; in aere et lumine, color obnubilatur. Ebullire potest quin alterationem subeat.

5 c. c. solutionis 1 : 1000 aucta 1 gutta de solutione ferri sesquichlorati suo volumine aquæ diluta, exhibent colorem viridentem, qui, ope calcii hydrici soluti aut ammonii hydrici, transit in violaceum, et colorem rubrovinosum si addatur 1 gutta natrii hydrici soluti.

Solutio 1 : 1000 intra venas injecta, ratione infra 0,001 gr. principii activi pro kilogr. ponderis animalis, mortifera est pro cuniculis, et ratione circiter 0,0000005 gr. jam pressuram sanguinis auget.

Solutiones serventur a luce et aere tutæ.

ÆTHER.

Æther sulfuricus.

Liquidum limpidum, decolor, valde mobile, odoris et saporis peculiaris, omni relatione miscibile alcoholi et oleis. P. S. : 0,720. Ebullit ad 35°, ex integro volatile.

Charta bibula, æthere imbuta, nullum spargat odorem postquam liquidum evolavit.

5 c. c. ætheris, spontaneæ evaporationi in capsula vitrea relicta, in parietes capsulæ vaporem deponunt, qui laccam musci non aperte rubefaciat.

In excipulum vitreum immitte 20 c. c. ætheris et circiter 4 gr. fragmentorum natrii hydrici grossorum ut pisum; claude excipulum et

per semi-horam miscelam in obscuro serva; non flavum assumat colorem.

10 c. c. ætheris, cum 1 c. c. acidi vanadici soluti agitata, hanc solutionem non rubefaciant.

Servetur a luce remotus in lagenis bene clausis.

ÆTHER ACETICUS.

Liquidum limpidum, incolor, odoris suavis, ex integro volatile, solubile in alcohole et in æthere in quacumque proportione, ebulliens calore 74°-76°. P. S. : 0,900 ad 0,904.

Fasciola chartæ exploratoriæ, in ætherem aceticum immersa, non immediate rubescat.

In tubum vitreum, angustum et centimetris cubicis graduatum, infunde 10 c. c. aquæ et 10 c. c. ætheris acetici; tubum obtura, fortiterque agita et per aliquod tempus in contactu relinque calore 15°; aqua non augeatur volumine ultra 1 c. c.

1 c. c. acidi sulfurici immitte in tubum probatorium et postea prudenter adde 1 c. c. ætheris acetici; non fiat coloratio ubi se invicem tangunt.

Servetur in lagenis bene clausis.

ÆTHER ALCOHOLICUS.

R. Ætheris	468
Alcoholis	532
	1000

Misce et loco obscuro, in lagena bene clausa, serva.

Liquidum limpidum, decolor, odoris ætherei, ex toto volatile, quod laccam musci non rubefacit.

ÆTHER BROMATUS.

Æthylum bromatum.

Æther bromatus officinalis continet circiter 1 p. c. alcoholis ethylici.

Liquidum limpidum, incolor, admodum refringens, odoris suavis, ex toto volatile, insolubile in aqua, solubile vero in alcohole et in æthere. P. S. : 1,453 ad 1,457. Ebullit calore 38° ad 40°.

Per aliquod tempus ad ebullitionem calefac miscelam 2 c. c. ætheris bromati et 10 c. c. solutionis alcoholicæ kalii hydrici, quam introduxeris in bulbulum cui superponatur tubus refrigeratorius refluens, ad siccitatem evapora, rursus aquam infunde, supersatura acido sulfurico diluto, adde aquam chloratam et agita cum aliquot guttis chloroformii; hoc dissolvens obfuscatur.

Si agites æqualia volumina acidi sulfurici et ætheris bromati in specillum epistomio vitreo clausum et prius acido sulfurico lotum, miscela non obfuscatur, etiam post horam.

Aqua quacum agitaveris æquale volumen ætheris bromati non vere rubefaciat chartam exploratoriam, nec turbetur argento nitrico intra 5 minuta.

1 c. c. ætheris bromati cum 3 guttis anilini et 2 c. c. solutionis alcoholicæ kalii hydrici mixtum non edat, postquam calefactum, odorem isonitrili.

Servetur prudenter in tubis flamma clausis, aut lagenis bene obturatis, a luce remotus.

ÆTHER CHLORATUS.

Æthylum chloratum.

Liquidum incolor, valde mobile, odoris grati, saporis dulcis, linguam quasi urens. P. S. ad 0° : 0,921. Parum solubile in aqua, solubile in alcohole et in æthere. Ebullit calore 12°5.

Æther chloratus temperatura ordinaria avolet sine residuo.

Aqua, in quam immiseris vaporem ætheris chlorati, nec vere rubefaciat laccam musci nec immediate turbetur argento nitrico.

Servetur temperatura inferiori, a luce remotus, in tubis flamma clausis.

ÆTHER NITRICUS ALCOHOLICUS.

Ætheris nitrosi spiritus.

R. Alcoholis	100
Acidi nitrici	35
Sacchari albi	10

Destilla ad obtinendas partes 70.

Productum excedente magnesio oxydato auge, per 24 horas in contactu serva frequenter agitando, filtra et rursum destilla, donec fere nullum remaneat liquidum in bulbo destillatorio.

Liquidum limpidum, incolor, aut subflavescens, ex toto volatile, odoris suavis. P. S. : 0,84 ad 0,86.

Reactio leviter acida esse potest, sed 10 c. c. ætheris nitrici alcoholici, aucta 0,2 c. c. liquoris normalis natrii hydrici, laccam musci rubedine non tingunt.

Æqualibus voluminibus ætheris nitrici alcoholici et solutionis concentratæ ferri sulfurici in acido chlorhydrico mixtis, editur liquidum fusco-nigridum.

Servetur in lagunculis epistomio vitreo clausis, omnino plenis, a luce remotus.

ÆTHER PRO NARCOSI.

Æther pro narcosi habeat dotes in articulo *Æther* descriptas, excepto quod, ad aciditatem inquirendam, tentamen fit cum 20 c c. liquidi. Præterea, si agites 10 c. c. ætheris cum 2 c. c. Nessler liquoris, hoc poterit tantisper opalescere flavo colore, sed nullum edatur præcipitatum rubrum aut nigrum.

Æther pro narcosi servetur in lagenis vitri fusci, capacitatis ad summum 150 c. c. Lagenæ sint omnino plenæ et serventur loco frigido et obscuro.

ÆTHERIS SIRUPUS.

R. Ætheris	20
Alcoholis	50
Aquæ	230
Sirupi simplicis	700
	1000

ALDEHYDUM BENZOICUM.

Essentia amygdalæ amaræ. — Essentia lauro-cerasi.

Ex amygdalæ amaræ vel lauro-cerasi, etc. essentiis extrahitur, vel synthetice paratur.

Liquor incolor, odoris gravis, aqua parum solubilis, alcohole quavis proportione solubilis, lumen polarisatum non afficiens. P. S. : 1,050 ad 1,055. Calore 179° fervet.

Recenter paratus, chartam exploratoriam non afficit, sed in aere post breve tempus fit acidus.

Misce 10 guttas aldehydi benzoici et 2 vel 3 guttas natrii hydrici soluti, adde aliquot guttas ferri sulfurici et ferri sesquichlorati solutorum; conquassa vehementer et, post breve tempus, supersatura acido chlorhydrico diluto; nullum generetur præcipitatum cæruleum.

In ampulla vitrea, conquassa vehementer 5 gr. aldehydi benzoici cum 45 gr. soluti natrii bisulfurosi saturati, adde 60 gr. aquæ, et balneo aquæ calefac; mixtura solutionem limpidam præbeat.

Solve 1 gr. aldehydi benzoici in alcoholis 20 gr.; aqua dilue donec permanenter turbetur et adde zincum metallicum et acidum sulfuricum dilutum ut hydrogenium emittatur; post aliquot horas filtra, ad quartam partem vapora ut alcohol plane avolet, adde 1 guttam kalii bichromici soluti 1:10 et fervefac; nullus appareat color violaceus.

Ab aere et luce defendatur.

ALOË.

Succus calore spissatus plurium specierum generis *Aloës*.

Massæ nigræ vel intense fuscæ, nitentes, per repercussum viridentes aut rubescentes, friabiles, fracturæ conchoideæ, odoris et saporis sui generis.

Aloë vix aut ne vix quidem æthere et chloroformio solvitur; alcohole autem calido solvitur.

Si 1 pars aloës solvatur 5 partibus alcoholis ferventis, solutio jam frigida limpida manet.

Cum 1 pars aloës 10 partibus aquæ ferventis soluta fuerit, solutione jam frigida, ne ultra 60 p. c. ponderis istius aloës subsidant.

ALOË SOLUTA.

R.	Aloës pulveris grossioris	500
	Natrii carbonici	10
	Aquæ	440
	Ammonii hydrici soluti	50
		1000

Balneo aquæ 3 priores substantias calefac usquedum aloë ex toto solvatur; solutionem calidam cola; postquam frigida fuerit, ammonium hydricum solutum ei commisce, inter vehementem motionem. Obtinere debes 1000 partes solutionis; quare, si necesse sit, aquam sufficientem adde.

ALOËS PILULÆ COMPOSITÆ.

Pilulæ purgativæ. — Pilulæ Hœnii.

R.	Aloës	10 gr.
	Scammoniæ resinæ	3 »
	Jalappæ resinæ	3 »
	Zingiberis pulveris	4 »
	Saponis officinalis	10 »
		30 gr.

Divide in 100 pilulas.

ALOËS TINCTURA.

R.	Aloës	200
	Alcoholis 70°	800
		1000

Fac tincturam quæ saltem 18 p. c. residui sicci relinquat.

ALTHÆÆ FLOS.

Althææ officinalis (L.) flos integer, ex albo roseus.

ALTHÆÆ FOLIUM.

Althææ officinalis (L.), priusquam florescat, lectum folium.

ALTHÆÆ RADIX.

Radix *Althææ officinalis* (L.) non antea lecta quam biennio saltem planta vixerit.

Exteriori sua cinerea parte purgetur; sit alba; ejus maceratio neutra est vel leviter acida, vix colore prædita, flavumque colorem inducit, cum sibi additum fuerit alcalinum quid.

Althææ radix ejusque pulvis, prius 100° siccata, cineres ultra 7,5 p. c. relinquere non possunt.

ALUMEN.

Crystalli octaedricæ, decolores, sine odore, in aere paululum fatiscentes, saporis subdulcis, dein styptici.

Alumen solvitur in 10,5 ad 11 partibus aquæ frigidæ, in tertia sui ponderis parte aquæ bullientis, in glycerino, nullatenus in alcohole. Calefactum liquescit in sua aqua crystallisationis, dein tumescit et transit in massam albam.

Solutio aquosa efficit, ope natrii hydrici, præcipitatum album, gelatinosum, solubile in excedente reagente quin emittat ammoniam, etiam calefactum; si solutioni hujus præcipitati in natrio hydrico addatur ammonium chloratum, seponitur aluminium hydricum quod cum parva quantitate cobalti nitrici calcinatum præbet massam, post refrigerationem, cæruleam.

Baryo nitrico, solutio aquosa 1:20 efficit præcipitatum quod non solvitur in acido chlorhydrico.

Solutionem aquosam 1:20 auge excedente ammonio hydrico soluto; fervefac usquedum expellatur ammonia, filtra, ad siccitatem evapora et calcina; residuum tingit flammam colore violaceo.

Solutio aquosa 1:20, acido chlorhydrico acidulata, nequit præcipitari acido sulfhydrico.

20 c. c. hujus solutionis 1:20, appositis 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti, non immediate induant colorem cæruleum.

ALUMEN USTUM.

Massæ albæ, spongiosæ, leves, quæ obtinentur ab alumine aquam expellendo, calore non ultra 240°.

Alumen ustum solvitur lente sed ex toto in 25-30 partibus aquæ.

Non contineat ultra 10 p. c. aquæ.

ALUMINIUM ACETICUM SOLUTUM.

Liquor Burrow.

℞.	Aluminii sulfurici	100
	Acidi acetici diluti	120
	Calcii carbonici	44
	Aquæ	Q. S. (circiter 335).

Dissolve aluminium sulfuricum in 265 partibus aquæ, dein solutioni adde acidum aceticum dilutum. Totum immitte in vas magnum. Intime commisce calcium carbonicum cum 66 partibus aquæ; paulatim adde, constanter agitando, hanc mixturam miscelæ solutionis aluminii sulfurici et acidi acetici. Sepone per 24 horas temperatura ordinaria, identidem miscendo. Transfunde, exprime, quin tamen laves; filtra liquidum et adde, si opus fuerit, aquam ita ut obtineas liquorem ponderis specifici 1,044 ad 1,048.

Liquidum limpidum et incolor, solutas continens 7,5 ad 8 p. c partes aluminii acetici, spargens tenuem odorem acidi acetici, rubefaciens chartam exploratoriam et habens saporem subdulcem et adstringentem.

Si balneo aquæ calefacias 10 gr. aluminii acetici soluti cum 0,20 gr. kalii sulfurici, liquidum fit spissum; refrigeratione rursus fit fluidum et pellucidum.

Aluminium aceticum solutum, acido chlorhydrico acidulatum ac dein acido sulfhydrico tractatum, non edat præcipitatum sulfureti.

Additis 2 voluminibus alcoholis, liquor Burrow turbetur, sed non immediate præcipitetur.

10 gr. aluminii acetici soluti adde tantillum excedentem ammonium hydricum solutum, ad ebullitionem calefac, filtra, præcipitatum lava, desicca et calcina; ita excipias 0,23 ad 0,26 gr. aluminii oxydati.

ALUMINIUM SULFURICUM.

Massæ albæ crystallinæ, sine odore, saporis acidi et adstringentis, solubiles in 1 ad 2 partibus aquæ frigidæ.

Solutio aquosa laccam musci rubefacit; baryo nitrico efficit præcipitatum album, quod non solvitur in acido chlorhydrico diluto; natrio hydrico efficit præcipitatum flocceum, album, solubile in excedente reagente; si calefacias hanc solutionem natricam cum excedente ammonio chlorato, seponitur aluminium hydricum.

Solutio aquosa 1:10 sit incolor; acido chlorhydrico diluto acidulata, non præcipitatur acido sulfhydrico; aucta vero æquali volumine liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi, leviter turbari poterit.

Solutio aquosa 1:20, additis 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti, non immediate induat colorem cæruleum.

Si pulveres 1 gr. aluminii sulfurici prius desiccati ad 100° et agites pulverem cum 3 c. c. stanni chlorati soluti, miscela non obscuretur, etiam post horam.

AMMONIACUM GUMMI.

Gummi-resina quam fert *Dorema ammoniacum* (Don.).

Constat lacrymis discretis vel leviter glutinatis, exterius ex albo flavescentibus, ad fracturam recentem albis, odoris peculiaris, saporis amari, acris et nauseosi. Calefacta mollescit. Cum aqua attrita, emulsionem præbet lactinam.

Incinerata non ultra 6 p. c. cineres relinquat.

AMMONIÆ SPIRITUS ANISATUS.

R. Anetholi	30
Alcoholis	770
Ammonii hydrici soluti.	200
	1000

AMMONII CHLORATI TABELLÆ.

R. Ammonii chlorati	50
Tragacanthæ gummi.	10
Liquiritiæ pulveris	40
Liquiritiæ extracti sicci.	200
Sacchari	700
Aquæ	Q. S.

Misce et in tabellas 1 gr. divide.

AMMONIUM ACETICUM SOLUTUM.

Acetas ammoniæ liquidus.

R. Ammonii hydrici soluti.	300
Aquæ	200
Acidi acetici diluti	600

Misce. Post refrigerationem, ammonio hydrico soluto, si opus sit, neutralisa et aquam adde, usquedum solutio pondus specificum 1,032 ad 1,034 habeat, quod tenori circiter 15 p. c. ammonii acetici æquivalet.

Liquidum limpidum, incolor, saporis salsi, sine odore empyreumatico.

Fasciola chartæ exploratoriæ, in hoc liquido diu immersa, non nisi valde leviter rubescat.

Balneo aquæ evaporatum, ammonium aceticum solutum sine sensibili residuo avolat.

Neque acido sulfhydrico, neque ammonio sulfurato neque baryo nitrico præcipitetur; solutione nitrica argenti nitrici leviter turbari potest.

Servetur in lagenis bene clausis.

AMMONIUM CARBONICUM.

Carbonas ammoniæ.

Massæ albæ, spissæ, translucidæ, texturæ fibro-crystallinæ, emittentes fortem odorem ammoniæ, ferventes cum acidis, fatiscentes in aere, et exterius non raro coopertæ pulvere albo.

Calefactum, ammonium carbonicum ex integro avolat. Solvitur lente sed ex toto in 5 partibus aquæ.

Solutio aquosa 1 : 20, supersaturata acido acetico, neque acido sulfhydrico, neque baryo nitrico, neque ammonio oxalico præcipitatur.

Hac solutione 1 : 20 excedente argento nitrico adaucta, ac dein acido nitrico saturata, liquidum non obfuscetur et nonnisi leviter turbetur infra 2 minuta.

1 gr. ammonii carbonici acido nitrico supersatura et ad siccitatem evapora balneo aquæ; residuum sit incolor et omnino disparcat sufficiente calore.

Servetur in lagenis bene clausis.

AMMONIUM CHLORATUM.

Chlorhydras ammoniæ.

Crystalli, colore et odore carentes, saporis frigidi et pungentis, in aere immutabiles, calore totaliter avolantes.

Ammonium chloratum solvitur in circiter 3 partibus aquæ, vix solubile in alcohole et in æthere.

Solutio aquosa 1 : 20 argento nitrico præcipitatum album, caseosum efficit, quod non solvitur in acido nitrico, sed solvitur in ammonio carbonico; cum natrio hydrico calefacta, emittit ammoniam.

Cum lacca musci neutra est; acido sulfhydrico non coloratur; neque baryo nitrico, neque ammonio oxalico, acido sulfurico diluto aut ammonio sulfurato præcipitatur.

Aucta acido chlorhydrico, non induat colorem rubrum ferro sesqui chlorato.

Si 20 c. c. hujus solutionis 1 : 20 addantur 0,5 c. c. kalii ferrocyanati

soluti, liquidum nec turbetur nec immediate tingatur colore cæruleo.

Miscela 1 gr. ammonii chlorati et aliquot guttarum acidi nitrici, balneo aquæ evaporata, relinquat residuum album, ex integro volatile.

AMMONIUM HYDRICUM SOLUTUM.

Ammonia liquida.

Liquidum coloris expers, limpidum, odoris valde pungentis, saporis alcalini et caustici, laccam musci cæruleo tingens colore, continens circiter 17 p. c. gazi ammoniaci. P. S. : 0,935. Ex toto volatile.

Si ad superficiem liquidi adducatur virga vitrea, acido chlorhydrico diluto humectata, nascitur abundans fumus albus.

Ammonium hydricum solutum, 4 voluminibus calcii hydrici soluti auctum, non turbetur. 2 voluminibus aquæ dilutum, non præcipitetur neque acido sulfhydrico, neque ammonio oxalico. Item dilutum, non turbatur baryo nitrico, si antea supersaturatum fuerit acido acetico. Argento nitrico leviter opalescere poterit liquidum, 2 voluminibus aquæ dilutum et excedente acido nitrico auctum.

Solutio proveniens ex ammonio hydrico soluto, acido nitrico diluto neutralisato. Non emittit odorem empyreumaticum et, ad siccitatem evaporata, residuum decolor relinquit.

1 gr. ammonii hydrici soluti saturat circiter 10 c. c. liquoris normalis acidi chlorhydrici.

Servetur in lagenis epistomio vitreo clausis.

AMMONIUM SULFOICHTHYOLICUM.

Liquidum fusco-nigrum, limpidum, spissum ut sirupus, odoris empyreumatici et saporis peculiaris, fere ex toto solubile in aqua, partim in alcohole et in æthere, ex integro in miscela partium æqualium alcoholis et ætheris.

Cum excedente natrio hydrico calefactum, emittit ammoniam.

Solutio aquosa, cum acido chlorhydrico tractata, edit præcipitatum resinaceum quod, sejunctum, ex integro solvitur in aqua et in æthere.

Siccatum ad 100°, ammonium sulfoichthyolicum amittit circiter 45 p. c. aquæ partes; majore calore carbonescit et absque æstimabili residuo comburitur.

AMYGDALÆ AMARÆ AQUA.

Vide *Lauro-cerasi aqua.*

AMYGDALARUM OLEUM.

Sub hoc nomine venire potest oleum extractum e nucleis diversarum amygdalarum (amygdalis nempe dulcibus, amaris vel persicis).

Oleum sit limpidum, flavescens, fere inodorum, saporis dulcis et læti. P. S. : 0,915 ad 0,920. Frigore ne vel —10° spissetur.

Index iodi sit inter 92 et 102; index saponificationis 185 saltem attingat.

Si 2 c. c. hujus olei, 1 c. c. acidi nitrici fumantis et 1 c. c. aquæ mixta concusseris, oleum manebit incolor vel fiet e roseo rubrum; post 6 horas, calore 10°, mixtura spissabitur in massam granosam.

Misce 2 c. c. olei, 2 c. c. alcoholis amylici, 2 c. c. carbonei sulfurati quod 1 p. c. sulphuris soluti contineat; tubum hanc mixturam continentem per 15 saltem minuta in aqua ferventi serva; nullus jam appareat color rubeus vel roseus.

Vehementer concute 10 c. c. olei, 10 c. c. acidi chlorhydrici et 2 guttas alcoholis 2 p. c. furfuroli continentis, et repone; post aliquot minuta, nullus in acido appareat color rubeus vel roseus.

AMYGDALARUM SIRUPUS.

R. Amygdalæ dulcis.	160
Amygdalæ amaræ	40

Amygdalas aqua non ultra 40° macera; spermodermata fusca rejice: aqua frigida nucleos lava, deinque contere, omnem ferri contactum removendo.

Adde paulatim aquæ quantum satis, ut, postquam amygdalas per linteum spisse contextum expresseris, 400 partes emulsionis obtineas.

R. Emulsionis.	400
Aurantii citri florum aquæ.	20
Sacchari	580
	1000

Frigida solvantur.

Hujus sirupi pondus specificum sit circa 1,30.

AMYGDALI SEMEN.

Amygdala dulcis. — Semen maturum *Amygdali communis* (L.) var. *dulcis*.

Semen est ovatum, complanatum, superius acutum, inferius tumescens, 2 ad 2,5 centimetra longum, intus album, epispermate coopertum fusco-fulvo, tenui et rugoso.

Amygdala amara. — Semen maturum *Amygdali communis* (L.) var. *amaræ*.

A præcedenti tantum differt suo sapore amaro et odore acidi cyanhydrici, quod redolet quando cum aqua conteritur.

Amygdalis recentibus uti debes, siccis et omnino sanis.

AMYLIUM NITROSUM.

Nitris amylicus.

Liquidum limpidum, subflavum, odoris peculiaris, saporis urentis, pungentis, vix solubile in aqua, omni relatione miscibile alcoholi et ætheri, ex integro volatile. P. S. : 0,87-0,90.

Ebullit versus 99° flagratque flamma lucente, fuliginosa.

Si agites miscelam amylii nitrosi, acidi chlorhydrici diluti et solutionis concentratæ ferri sulfurici, liquidum aquosum obfuscatur.

1 c. c. aquæ adde 0,5 c. c. liquoris normalis natrii hydrici et 2 guttas tincturæ laccæ musci, dein liquidum agita cum 5 c. c. amylii nitrosi; solutio aquosa non rubescat.

Calefac 1 c. c. amylii nitrosi cum miscela 1,5 c. c. argenti nitrici soluti, 1,5 c. c. alcoholis absoluti et aliquot guttarum ammonii hydrici soluti, liquidum nec obfuscetur nec nigrescat.

Refrigeratione ad 0°, amylium nitrosum turbari nequit.

Servetur a luce remotum, in parvis lagenis epistomio vitreo clausis.

AMYLUM.

Amylum *Orizæ sativæ* (L.), *Tritici vulgaris* (Vill.), *Zeæ Maïdis* (L.), *Marantæ arundinaceæ* (L.) aut *Solani tuberosi* (L.).

Pulvis albus, inodorus et insipidus, qui neque aqua frigida neque alcohole solvitur, quique aqua ferventi mutatur in glutinum fere pellucidum quod, semel frigidum, iodo colore induitur cæruleo.

Igne crematum, nequit cineres ultra 1 p c. linquere.

ANETHOLUM.

Essentia anisi.

Essentiæ anisi pars oxygenata solida.

Lamellæ crystallinæ, albæ, odorem peculiarem spargentes, sapore dulces, aqua parum, alcohole bene solubiles.

Anetholum, ubi recens, calore 22° liquescit, liquorem præbens incolorem, valde refringentem, lumen polarisatum non afficientem; a 232° ad 234° fervet.

Ejus pondus specificum in gradu 25° stat inter 0,984 et 0,986.

Ab aere et luce defendatur.

ANHYDRIDUM ARSENICOSUM.

Acidum arsenicosum.

Massæ albæ, vitreæ vel opacæ, fracturæ conchoïdeæ, aut pulvis albus crystallinus.

Anhydridum arsenicosum est odoris expers, saporis leviter acidi et acris; parum solubile in aqua frigida, solubile in circiter 10 partibus aquæ bullientis.

In tubo vitreo clauso calefactum, ex toto avolat et operit partes frigidas tubi sublimato albo, quod constituitur octaedris nitentibus. In iisdem adjunctis sed cum carbone calefactum, alliaceum spargit odorem et in parietibus tubi producit speculum fuscum nitens ut metallum.

Solutio aquosa, ammonio hydrico perfecte neutralisata, argento nitrico efficit præcipitatum flavum, quod solvitur in ammonio hydrico soluto et in acido nitrico.

Anhydridum arsenicosum solvatur in 10 partibus ammonii hydrici soluti cum calore, absque sensibili residuo; liquidum, suo volumine aquæ dilutum, non flavescat si acido chlorhydrico supersaturetur.

0,50 gr. anhydridi arsenicosi et 3 gr. natrii bicarbonici in 20 gr. aquæ calore dissolve; post refrigerationem, aquam adde, ita ut obtineas 100 c. c.; hujus liquidi 10 c. c. demant colorem 10 c. c. liquoris decinormalis iodi.

Caute servetur.

ANHYDRIDUM CHROMICUM.

Acidum chromicum.

Crystalla prismatica, obscure rubra, deliquescentia, in aqua valde solubilia, caustica.

Anhydridum chromicum incipit liquescere calore circiter 192°, et, vehementius calefactum, decomponitur in oxygenium et chromum sesquioxydatum.

Cum acido chlorhydrico calefactum, emittit chlorum.

Solutio aquosa 1 : 100, acido chlorhydrico aucta, non præcipitetur baryo nitrico.

Residuum chromi sesquioxydati, ex calcinatione 1 gr. anhydridi chromici proveniens, non cedat aquæ materiam solubilem æstimabilem.

Anhydridum chromicum facile reducitur liquidis organicis, ut alcohole et glycerino, quibus non sine periculo miscetur

Caute servandum in lagenis epistomio vitreo clausis.

Nomine ACIDI CHROMICI SOLUTI OFFICINALIS designatur liquidum quod solvendo anhydridum chromicum in suo pondere aquæ obtinetur.

ANISI AQUA.

R. Anisi spiritus	30
Aquæ	970
	1000

Ex tempore misce.

ANISI FRUCTUS.

Fructus *Pimpinellæ anisi* (L.) cui pedunculus adhærere potest.

Fructus pulvisque anisi, prius calore 100° siccati, cineres non ultra 12 p. c. relinquant.

ANISI SIRUPUS.

R. Anisi spiritus	30
Sirupi simplicis	970
	1000

Ex tempore misce

ANISI SPIRITUS.

R. Anetholi	10
Alcoholis 80°	990
	1000

ANTIPYRINUM.

Crystalli parvæ, incolores, saporis leviter amari, liquescentes calore circiter 113°, solubiles in 1 parte aquæ frigidæ, in 0,5 parte aquæ ferventis, in 1 parte alcoholis, in 1 parte chloroformii et in 50 partibus ætheris.

Soluta antipyrini cum lacca musci neutra sunt.

2 c. c. solutionis aquosæ ad 1 : 1000, adaucta 1 gutta ferri sesquichlorati soluti, sumunt colorem obscure rubrum qui, additis 10 guttis acidi sulfurici, in flavum se vertit.

2 c. c. solutionis aquosæ 1 : 100 commixta 2 guttis acidi nitrici fumantis sumunt colorem viridem; si, post ebullitionem, denuo addatur 1 gutta acidi nitrici, viride transit in rubrum.

Solutio aquosa 1 : 100 ope acidi tannici præcipitatum album et amplum efficit; hydrargyro iodato cum kalio iodato non præcipitatur.

Solutio antipyrini in 2 partibus aquæ sit incolor et absque odore, nec acido sulfhydrico præcipitetur.

0,10 gr. antipyrini incinerata non relinquunt residuum.

ANTIPYRINUM SALICYLICUM.

Crystalli decolores, aut pulvis crystallinus albus, absque odore, saporis specialis; liquescunt calore 91° ad 92°, solvuntur in 200 partibus aquæ frigidæ et in 25 partibus aquæ ferventis, facile in alcohole et in chloroformio, minus autem in æthere.

Calefactum, ope acidorum, antipyrinum salicylicum decomponitur in acidum salicylicum et antipyrinum.

Solutio aquosa 1 : 40 rubefacit laccam musci, albide turbatur acido tannico et sumit viridem colorem ope aliquot guttarum acidi nitrici fumantis.

10 c. c. solutionis aquosæ 1:40 cum 1 gutta ferri sesquichlorati soluti obscure rubrum induunt colorem; sufficienter autem dilutis illis, color transit in rubro-violaceum.

Antipyrinum salicylicum 57,7 p. c. antipyrini et 42,3 p. c. acidi salicylici continet.

0,10 gr. antipyrini salicylici incinerata non relinquant residuum.

APOMORPHINUM HYDROCHLORICUM.

Chlorhydras apomorphinæ.

Crystalli parvæ, albæ aut cineraceæ, aut pulvis crystallinus, sine odore, saporis amari.

Apomorphinum hydrochloricum solvitur in circiter 40 partibus aquæ aut alcoholis, quæ solutiones neutræ sunt. Fere insolubile est in æthere et in chloroformio.

In lamina platinea calefactum, liquescit et comburitur absque residuo.

Solutio aquosa 1:100, natrio bicarbonico aucta, edit præcipitatum album quod paulatim fit viride. Ferro sesquichlorato sumit colorem amethystæ. Ope excedentis natrii hydrici paulatim fit purpurea, deinde nigra. Solutionem ammoniacalem argenti nitrici reducit.

Acido nitrico solvitur apomorphinum hydrochloricum et producitur liquidum rubrum.

Servatum loco humido, præsertim in lumine, apomorphinum hydrochloricum tingitur viridi colore. Ita alteratum, ætherem quocum agitatur, rubro-violaceo tingit colore et edit cum aqua solutiones virides.

Apomorphinum hydrochloricum, cujus solutiones aquosæ 1 : 100, ubi parantur, virides sunt, usui medicinali non inserviat. Ad productum ita alteratum purificandum, cum æthere illud agita usquedum exuat colorem, dein inter folia chartæ filtratoriæ desicca.

Caute servetur a lumine et humore remotum.

AQUA.

Aqua destillata.

Liquor limpidus, incolor, inodorus, insipidus.

Cujus aspectus nec argento nitrico, nec baryo nitrico, nec calcii hydrici soluti vel duplici volumine mutatur.

100 c. c. aquæ, cum 1 c. c. Nessler liquoris admixta, colorem flavum ducere nequeunt.

Si 100 c. c. aquæ cum 10 c. c. acidi sulfurici diluti calefeceris, ita ut ferveant, et 0,3 c. c. kalii permanganici soluti addideris, non licet ut liquor, per 3 minuta coctus, colorem amittat.

50 c. c. aquæ vaporata residuum æstimabile non relinquant.

AQUA ALCALINA EFFERVESCENS

R.	Natrii bicarbonici	5
	Kalii bicarbonici	0,40
	Magnesii sulfurici	0,50
	Natrii chlorati.	0,10
	Aquæ, acido carbonico saturatæ . . .	994
		1000

Lagenis fortioribus include, et obturamento bene revincto, lagenas loco frigido stratas serva.

AQUA CRESOLICA.

R.	Cresoli saponati	1
	Aquæ	9

Misce.

100 partes hujus liquidi 5 partes cresoli crudi continent.

AQUA HÆMOSTATICA.

Aqua Pagliari.

R.	Acidi benzoici.	2
	Benzoes tincturæ	10
	Aluminis	80
	Aquæ fervidæ	Q. S.

Alumen solve in partibus 900 aquæ ferventis et repone ut frigescat; acidum benzoicum tinctura benzoes solve; misce et vehementer concute; dein repone; post unam horam, filtra et adde aquæ quantum satis ut 1000 partes soluti habeas.

AQUA PHENOLATA.

Aqua phenicata.

R.	Acidi carbolici	20
	Aquæ	980
		1000

Concute usque ad dissolutionem.

AQUA PURGANS.

℞. Natrii bicarbonici	1
Natrii chlorati.	1
Natrii sulfurici	20
Magnesii sulfurici.	20
Aquæ prius fervefactæ	958
	1000

Filtra, si necesse.

AQUA SEDATIVA.

℞. Natrii chlorati.	60
Ammonii hydrici soluti.	60
Camphoræ spiritus	10
Aquæ	870
	1000

Sal solvatur aqua; addatur camphoræ spiritus, postremo ammonium hydricum. Filtretur.

ARGENTI NITRICI STYLI.

℞. Argenti nitrici	90
Kalii nitrici	10

Argentum nitricum cum kalio nitrico tritura, miscelam in crucibulo argenteo vel porcellaneo liquefac et infunde.

ARGENTUM FOLIATUM.

Argenti puri folia tenuissima, quæ acido nitrico ex toto solvuntur. Solutio hæc, aquæ adjunctione diluta, acido chlorhydrico leviter excedente tractata, postquam filtrata fuerit, neque acido sulfhydrico, neque ammonio hydrico soluto colorabitur aut præcipitabitur et, in vitro horologii portatilis vaporata, residuum sensibile non relinquet.

ARGENTUM NITRICUM.

Nitras argenti.

Crystalli tabulares, pellucidæ, decolores, nullam aquam continentes, solubiles in 0,6 partibus aquæ et in circiter 10 partibus alcoholis, solubiles in excedente ammonio hydrico soluto.

Solutio aquosa 1 : 20 cum lacca musci neutra est; acido chlorhydrico edit præcipitatum album caseosum, solubile in ammonio hydrico soluto, insolubile in acido nitrico.

5 c. c. hujus solutionis in ebullitione agitando cum pauco excedente acido chlorhydrico præcipita, liquidum filtra et evapora; non relinquatur residuum æstimabile.

Servetur a luce remotum, in vasis espistomio vitreo clausis.

ARGENTUM PROTEINICUM.

Pulvis flavidus, aut flavido-griseus, saporis metallici ingrati.

Argentum proteinicum in aqua lente solvitur, præbens solutiones flavidas, neutras aut leviter alcalinas.

Solutio aquosa 1 : 100 nec alcalis nec natrio chlorato, nec alcalinis sulfuretis præcipitatur. Acido chlorhydrico, efficit præcipitatum solubile in excedente reactivo, præsertim calefacta, et acido picrico efficit præcipitatum flavum.

Si aliquot centimetris cubicis solutionis aquosæ 1 : 100 addas aliquot guttas natrii hydrici soluti, dein 1-2 guttas cupri sulfurici soluti, liquidum agitatum assumit colorem violaceum.

Argentum proteinicum incineratum relinquit circiter 8 p. c. argenti metallici.

Ad præparandas solutiones argenti proteinici, in capsulam immitte majorem aquæ adhibendæ partem et ad superficiem liquidi appone argentum proteinicum, quod paulatim solvitur. Dein reliquam adde aquam. Cave ne agites antequam ex toto solvatur

Servetur a luce remotum, in lagenis bene clausis.

ARNICÆ FLOS.

Capitulus *Arnicæ montanæ* (L.).

ARNICÆ TINCTURA.

R. Arnicæ floris	100
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 1,50 p. c. residui sicci relinquat.

ARSENICALIS LIQUOR FOWLERI.

Kalii arsenicosi liquor.

R. Anhydridi arsenicosi	1
Kalii carbonici	1
Aquæ	2

Ad ebullitionem fervefac donec ex toto solvantur. Adde :

Aquæ	10
Alcoholis.	14
Melissæ spiritus	1

et tandem, postquam agitaveris, aquæ quantum satis ut habeas 100 partes solutionis.

Liquidum decolor, leviter turbidum dum paratur, sed paulatim clarescens. Reactionem habet alcalinam.

Acido chlorhydrico auctus, liquor Fowleri non mutat aspectum; ita acidulatus, generat ope acidi sulfhydrici præcipitatum flavum, in ammonio carbonico solubile.

1 p. c. anhydridi arsenicosi contineat.

5 gr. liquoris arsenicalis Fowleri adde solutionem 1 gr. natrii bicarbonici in 20 c. c. aquæ et aliquot guttas amyli soluti; grada ope liquoris decinormalis iodi. Adhibenda sunt 9,5 ad 10,2 c. c. liquoris gradati ut liquidum permanenter cærulescat.

Caute servetur.

ASA FOETIDA.

Succus gummo-resinosus, sponte spissatus, diversarum specierum generis *Ferulæ* (L.) imprimis *Ferulæ scorodosmæ* (Bentley) et *Ferulæ narthicis* (Boissier.)

Lacrymis constat fusco-flavidis, interius albis, discretis vel glomeratis, interdum massa e rubro fuscescente inclusis. Calore mollescit; odor ejus fœtidus, alliaceus; sapor acer, amaricans.

Alcohole fervido exhausta, asa fœtida ne ultra 50 p. c. maneat insoluta.

Igne combusta, non relinquat cineres ultra 8 p. c.

ASÆ FOETIDÆ TINCTURA.

R.	Asæ fœtidæ.	200
	Alcoholis 80°	900

Fac tincturam quæ saltem 8 p. c. residui sicci relinquat.

ATROPINUM SULFURICUM.

Sulphas atropinæ.

Pulvis, aut massa crystallina alba, sine odore, saporis amari et ingrati, solubilis in suo pondere aquæ et in circiter 3 partibus alcoholis, præbens solutiones cum lacca musci neutras, fere insolubilis in æthere et in chloroformio.

Atropinum sulfuricum circa 180° liquescit.

Solutio aquosa 1:60 baryo nitrico efficit præcipitatum album, in acido chlorhydrico insolubile; natrio hydrico turbatur et cum excedente ammonio hydrico limpida manet.

Miscelam 0,01 gr. atropini sulfurici et 5 guttarum acidi nitrici

fumantis, balneo aquæ ad siccitatem evapora, et, post refrigerationem, residuo leviter flavo adde excedentem liquorem alcoholicum kalii hydrici; apparet coloratio violacea.

Acidum sulfuricum solvit atropinum sulfuricum quin coloretur; addita parva quantitate acidi nitrici, solutio manet incolor.

AURANTII CITRI FLORUM AQUA.

R.	Aurantii citri florum spiritus	10
	Aquæ	990
		1000

Misce ex tempore.

AURANTII CITRI FLORUM ESSENTIA.

Essentia e floribus recentibus *Citri bigaradiæ* (Nouveau Duhamel) destillata.

Liquor flavescens, ad lucem fuscescens, leniter fluorescens, odoris grate fragrantis, saporis amari; in 1,5 ad 2 voluminibus alcoholis 80° limpide solvitur, et tunc cæruleo-violacee fluorescit. Hæc solutio turbatur si nova alcoholis quantitas ei addatur.

Ejus pondus specificum est inter 0,870 et 0,880.

Index saponificationis stat inter 20 et 55.

AURANTII CITRI FLORUM SIRUPUS.

R.	Aurantii citri florum spiritus	5
	Sirupi simplicis	995
		1000

AURANTII CITRI FLORUM SPIRITUS.

R.	Aurantii citri florum essentia	10
	Alcoholis 80°	990
		1000

AURANTII CITRI FLOS.

Flos *Citri bigaradiæ* (Nouveau Duhamel), ante completam aperturam lectus.

Color ejus sit albo-flavescens.

AURANTIORUM CORTEX.

Pericarpium, majori parte parenchymatis interni albi privatum, *Citri bigaradiæ* (Nouveau Duhamel).

Cortex sit flavidus vel e fusco viridens, odoris aromatici, læti, saporisque amari.

AURANTIORUM CORTICUM ESSENTIA.

Essentia e cortice recenti fructuum *Citri bigaradiæ* (Nouveau Duhamel) expressa.

Liquor flavus vel fuscescens, odoris grati, saporis dulcis et aromatici. P. S : 0,848 ad 0,852. Cum alcohole, mixturam præbet turbidam.

AURANTIORUM CORTICUM EXTRACTUM FLUIDUM.

R.	Aurantiorum corticum	100
	Aquæ	Q. S.

Per 24 horas in 600 partibus aquæ cortices macera; exprime et collige colaturam; fæcem cum sufficienti aqua in apparatum destillatorium immitte; distilla et collige 40 priores destillati partes. Colaturam macerationis per vaporationem ad 30 partes coge; adde nunc destillati priores 40 partes et 30 partes alcoholis. Postquam subsederit, filtra.

AURANTIORUM CORTICUM SIRUPUS.

R.	Aurantiorum corticum extracti fluidi . .	50
	Sirupi simplicis	950
		1000

AURANTIORUM CORTICUM TINCTURA.

R.	Aurantiorum corticum	200
	Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 5,5 p. c. residui sicci relinquat.

AURANTIORUM CORTICUM VINUM COMPOSITUM.

R.	Aurantiorum corticum extracti fluidi . .	50
	Cardui benedicti extracti fluidi	20
	Centaurii minoris extracti fluidi	20
	Gentianæ extracti.	10
	Vini fortioris	900
		1000

Solve; postquam subsederit, filtra.

BALSAMI TOLUTANI TABELLÆ.

R.	Balsami tolutani	50
	Tragacanthæ gummi.	6
	Sacchari.	994
	Aquæ	Q. S.

Balsamum tolutanum balneo aquæ per 2 horas calefac, sub frequenti motione. Calidum filtra et adhibe liquidum aromaticum ad pastam conficiendam. In tabulas 1 gr. divide.

BELLADONNÆ EXTRACTUM.

R. Belladonnæ folii	Q. V.
Alcoholis 70°	Q. S.

Folia sicca, apte divisa, alcohole 70° exhauri; solutiones alcoholicas abdestilla, donec alcohol ex toto evanescat; refrigera et, post aliquot tempus filtra; massam resinosam sepositam iterato aqua calida exhauri; solutiones aquosas vere limpidas conjunge et ad spissitudinem extracti firmi concentra.

Dum concentras, calor non ultra 50° evehatur.

Extractum potest 10 p. c. aquæ et debet 1,50 p. c. alcaloideorum continere.

Alcaloideorum computatio. — In vase cylindrico solve 2 gr. extracti in 5 gr. aquæ et 5 gr. alcoholis absoluti, adde 50 gr. ætheris, 20 gr. chloroformii et vehementer conquassa; adde nunc 10 c. c. natrii carbonici soluti 1:3. Per horam frequenter commove, tum per chartam siccam et coopertam quam citissime liquorem superiorem filtra, filtrati 50 gr. in ampulla colligens. Cujus partem fere mediam abdestilla. Reliquum liquorem æthero-chloroformicum in ampullam separatoriam immitte, et, vase ternis vicibus cum 5 c. c. ætheris eluto, ætherem quoque in ampullam separatoriam immitte. Adde 20 c. c. acidi chlorhydrici liquoris centinormalis, et vehementer conquassa. Adde, si necesse sit, ætheris quantum satis ut solutio æthero-chloroformica superemineat, et, postquam subsederit et liquores plane limpidi evaserint, per chartam aqua madefactam, solutionem acidam aquosam filtrabis, filtratum lagena incolori, 200 c. c. ampla, colligens. Solutionem æthero-chloroformicam ternis vicibus ope 10 c. c. aquæ elue, aquam hanc elutoriam liquori acido misce, et 100 c. c. perfice.

Adde ætheris quantum satis ut stratum 1 centim. crassum faciat, et 5 guttas iodeosini soluti. Adde tandem natrii hydrici liquoris centinormalis quantum satis erit ut, post conquassationem, stratum aquosum pallide roseum appareat.

Differentia inter numerum 20 et numerum centimetrorum cubicorum liquoris centinormalis natrii hydrici æquivalet numero centimetrorum cubicorum liquoris centinormalis acidi chlorhydrici quibus indiges ut alcaloidea satures 1,33 gr. extracti; hanc differentiam multiplica per 0,00289; multiplicando productum per 75,1, obtines pondus alcaloideorum, in 100 gr. extracti contentorum.

Si tenor prætergrediatur 1,50 p. c., extractum ad hunc gradum reducatur addendo saccharum lactis.

BELLADONNÆ FOLIUM.

Folium *Atropæ belladonnæ* (L.), lectum anthesi incipiente.

Pulverem belladonnæ parabis, folia tota absque residuo conterendo.

BELLADONNÆ SIRUPUS.

R. Belladonnæ tincturæ	50
Sirupi simplicis	950
	1000

BELLADONNÆ TINCTURA.

R. Belladonnæ folii	100
Alcoholis 70°	1000

Percolando fac tincturam.

BELLADONNÆ UNGUENTUM.

R. Belladonnæ extracti	100
Aquæ	50
Ungenti simplicis	850
	1000

Extractum aqua dilue et unguento simplici commisce.

BENZOE.

Succus resinosus, constans glebis forma variis, aperte fuscis; in fracturæ superficie apparent lacrymæ albidæ; quo frequentiores istæ sunt, eo melior est benzoe.

Benzoe leni calore læte redolet; calore fortiori acres elicit vapores.

Alcohole fervido non ultra 5 p. c. insoluta remanent.

Solutioni alcoholicæ benzoes si plures aquæ partes addideris, emulsionem habebis lactini candoris, acidæ reactionis.

Si 1 benzoes partem 10 partibus carbonei sulfurati leni calore tractaveris et filtraveris, liquidum habebis coloris fere expers, a quo, in frigore, acidi benzoici crystalla secernentur.

BENZOES TINCTURA.

R. Benzoes	200
Alcoholis 80°	800
	1000

Fac tincturam quæ saltem 18 p. c. residui sicci relinquat.

BERGAMOTTÆ ESSENTIA.

Essentia e recenti cortice fructus *Citri bergamiæ* (Risso) expressa.

Liquor flavo-fuscus vel viridescens, odoris grati, saporis amari, alcohole solubilis. P. S. : 0,88 ad 0,89.

In ampulla vitrea, 100 c. c. ampla, appende 2 gr. essentiæ, adde 10 c. c. alcoholis, 1 guttam phenolphthaleini soluti et liquoris alcoholici kalii hydrici semi-normalis quantum satis est ut mixtura rubra evadat. Adde nunc 20 c. c. ejusdem liquoris semi-normalis, ampullæ superpone apparatum refrigerantem cum refluxu et per unam horam mixturam leviter fervefac. Ad frigescendum repone, ope 50 c. c. aquæ dilue et excedens kalium hydricum ope acidi sulfurici semi-normalis grada. Opus tibi erit saltem 10,8, ad summum 13,9 c. c. acidi sulfurici semi-normalis (45 ad 30 p. c. linalyli acetici).

Balneo aquæ vaporata, bergamottæ essentia circiter 5 ad 6 p. c. residui relinquit.

BIIODOBITHYMOLUM.

Pulvis e rubescente flavus, odoris et saporis fere expers, insolubilis in aqua et in glycerino, parum solubilis in alcohole, facile in æthere, chloroformio, oleis pinguibus et vaselino.

0,10 gr. biiodobithymoli, aucta 2 guttis acidi sulfurici et in lamina platinea calefacta, vapores violaceos iodi emittunt, carbonescunt et incinerata non relinquunt sensibile residuum.

0,50 gr. biiodobithymoli per 10 minuta cum 10 c. c. aquæ agita et filtra; hoc filtratum non potest laccam musci cæruleo tingere colore; acido nitrico acidulatum, nonnisi leviter opalescere potest argento nitrico.

Biiodobithymolum 46 p. c. iodi continet.

Defendatur a luce.

BISMUTHUM OXYIODATUM SUBGALLICUM.

Pulvis e viridente griseus, odoris et saporis expers, insolubilis in aqua et in alcohole, solubilis in acidis dilutis et in natrio hydrico soluto.

0,10 gr. bismuthi oxyiodati subgallici, aucta 2 guttis acidi sulfurici concentrati et in tubo clauso calefacta, vapores violaceos iodi emittunt.

Solutio 0,10 gr. bismuthi oxyiodati subgallici in 10 c. c. acidi chlorhydrici valde diluti obscure viridem assumit colorem, si addantur 2 guttæ ferri sesquichlorati soluti, editque præcipitatum nigrum hydrogenio sulfurato.

Bismuthum oxyiodatum subgallicum 24 p. c. iodi et 46 p. c. bismuthi oxydati continet.

Defendatur ab humore.

BISMUTHUM SUBGALLICUM.

Pulvis amorphus, flavus, sine odore et vix habens saporem, insolubilis in aqua, in alcohole et in æthere; in acre calcinatus carbonescit, dein relinquit residuum flavidum.

0,1 gr. bismuthi subgallici, cum solutione acidi sulfhydrici agitatum, efficit sulfuretum fusco-nigrum; liquidum filtratione sejunctum et ebullitione excedente hydrogenio sulfurato privatum, cæruleo-nigrum assumit colorem, additis aliquot guttis solutionis dilutæ ferri sesquichlorati.

10 c. c. alcoholis, cum 1 gr. bismuthi subgallici agitata, ac dein filtrata, non relinquant, post evaporationem, æstimabile residuum.

Cum excedente natrio hydrico calefactum, bismuthum subgallicum non emittat ammoniam.

Miscela 1 gr. bismuthi subgallici et 3 c. c. stanni chlorati soluti non magis obscuretur, etiam hora elapsa.

Residuum incinerationis 1 gr. bismuthi subgallici tracta cum acido nitrico, desicca et calcina; pondus residui sit ad minus 0,52 gr. bismuthi oxydati.

Hoc residuum solve in 5 c. c. acidi nitrici et adde aquam ut habeas 20 c. c. liquidi; portiones 5 c. c. hujus solutionis nec additione 5 guttarum baryi nitrici soluti, suo volumine aquæ diluti, nec 10 c. c. acidi sulfurici diluti, nec additione 2 guttarum argenti nitrici soluti turbentur; hæc solutio nitrica incolor manet addita excedente ammonio hydrico; et diluta, excedente acido sulfhydrico supersaturata et filtrata generat liquidum quod, non relinquit, post evaporationem, æstimabile residuum.

BISMUTHUM SUBNITRICUM.

Subnitras bismuthi.

R.	Bismuthi in grossum pulverem contriti . .	1
	Acidi nitrici	2,5
	Aquæ	2,5

Acidi et aquæ miscelam ad 75°-90° eveha; bismuthum in liquidum sensim immitte; reactio quæ initio vividissima est, tepescit quando ultimæ partes metalli in acidum introducuntur. Tunc, ad favendum dissolutioni, intensius calefac. Post plures dies sepositionis, liquor

limpidus decanthatur et evaporatur usquedum crystalli per refrigerationem secernantur.

Crystallos bismuthi nitrici recollige, exstillare sine, pluries deinde eas aqua, acido nitrico aucta, lava.

Tum 1 partem hujus bismuthi nitrici tritura cum 4 partibus aquæ et productum obtentum, constanter agitando, in 21 partes aquæ bullientis infunde. Statim ac præcipitatum depositum est, decantha liquidum superfluens et hoc præcipitatum totaliter exstillare sine; dein suo volumine aquæ lava, et, omni aqua exstillata, ad calorem 30° exsicca.

Pulvis albus, nullius fere saporis, reactionis acidæ.

Fortiter calefactum, bismuthum subnitricum emittit vapores rutilantes. Solutio aquosa, acido nitrico aucta, edit præcipitatum nigrum si quædam guttæ infundantur in miscelam parvæ quantitatis stanni chlorati et multi excedentis natrii hydrici.

0,5 gr. bismuthi subnitrici cum 25 c. c. acidi sulfurici diluti, frigide agitata, absque effervescentia generant liquidum limpidum. Hujus solutionis pars, ammonio hydrico supersaturata et filtrata, præbet liquidum decolor. Alia pars, excedente acido sulfhydrico bismutho spoliata et filtrata, generat liquidum quod, evaporatum, fere nullum relinquit residuum.

Solve 0,5 gr. bismuthi subnitrici in 5 c. c. acidi nitrici et aquæ, pari volumine mixtorum, et 5 guttas baryi nitrici soluti, suo volumine aquæ diluti, adde; liquidum non efficit præcipitatum baryi sulfurici; non nisi leviter turbari potest 2 guttis argenti nitrici soluti.

Cum excedente natrio hydrico calefactum, bismuthum subnitricum ammoniam non emittat.

1 gr. bismuthi subnitrici calcina; residuum sit 0,79 ad 0,82 gr.

Hoc residuum in acido chlorhydrico solve et solutioni æquale volumen stanni chlorati soluti adde; miscela non obscuretur, etiam post horam.

BISMUTHUM SUBSALICYLICUM.

Pulvis amorphus, albido-flavescens, sine odore aut peculiari sapore, vix solubilis in aqua et in alcohole; acido nitrico decomponitur, liberum reddens acidum salicylicum.

Bismuthum subsalicylicum calefactum carbonescit ac dein relinquit residuum flavescens.

Cum solutione diluta ferri sesquichlorati violaceum sumit colorem, fusco nigrum autem cum acido sulfhydrico.

0,50 gr. bismuthi subsalicylici cum 5 c. c. aquæ agita; liquidum filtratum non immediate chartam exploratoriam rubefaciat.

Miscela 1 gr. bismuthi subsalicylici et 3 c. c. stanni chlorati soluti non sumat fuscum colorem, etiam post horam.

Cum excedente natrio hydrico calefactum, bismuthum subsalicylicum non emittat ammoniam.

0,50 gr. bismuthi subsalicylici adde 1 c. c. acidi sulfurici concentrati ac dein prudenter 2 c. c. ferri sulfurici soluti; non appareat coloratio fusca ubi se tangunt.

Residuum 1 gr. bismuthi subsalicylici incinerati acido nitrico tracta, desicca prudenter et calcina; residuum bismuthi oxydati habeat pondus ad minus 0,63 gr. Hoc residuum solve in acido nitrico et solutum ad 20 c. c. dilue; portiones 5 c. c. hujus solutionis nec additione 5 guttarum baryi nitrici soluti, suo volumine aquæ diluti, nec 10 c. c. acidi sulfurici diluti, nec additione 2 guttarum argenti nitrici soluti turbentur; hæc solutio nitrica, addita excedente ammonio hydrico, incolor manet et, cum excedente acido sulfhydrico tractata, generat liquidum quod, filtratum et evaporatum, vix relinquit residuum.

Servetur a luce remotum.

BISTORTÆ RHIZOMA.

Polygoni bistortæ (L.) rhizoma externe intense fuscum, interne carnosum, roseum.

BOLUS ALBA.

Kaolin.

Pulvis albus, aluminii hydro-silicatibus e majore parte constans.

Aqua madefacta, bolus alba fictilem plus minusve naturam inducit. Aqua permulta diluitur sed non solvitur; lixiviata, arenam non deponit.

Acido chlorhydrico diluto mixta, non effervescat.

BOLUS DRASTICUS ANGLICUS.

R. Aloës	35 gr.
Guttæ gummi	4 »
Saponis officinalis	10 »
Anetholi	1 »

Ad unum bolum.

BOLUS PURGATIVUS.

R. Aloës	15 gr.
Magnesii carbonici	5 »
Saponis officinalis	5 »

Ad unum bolum.

BORAX.

Crystalli prismaticæ, albæ, circiter 47 p. c. aquæ crystallisationis continentes, sine odore, saporis leviter lixivialis, solubiles in circiter 17 partibus aquæ 15° et in dimidia parte aquæ bullientis, solubiles in glycerino, insolubiles in alcohole.

Calefactus, borax in sua aqua crystallisationis liquescit, fit anhydrus, dein rursus liquescit et præbet massam vitream, decolorem.

Solutio aquosa concentrata et calida, et cum excedente acido chlorhydrico tractata, abundantes lamellulas crystallinas acidi borici deponit.

Solutio aquosa 1:50 nec acido sulfhydrico nec ammonio oxalico præcipitatur; acido nitrico acidulata, non immediate baryo nitrico turbatur; non nisi leviter opalescat argento nitrico.

50 c. c. hujus solutionis 1:50, 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti aucta, colorem cæruleum non immediate induant.

Acidis mineralibus non effervescat borax.

BROMOFORMIUM.

Liquidum incolor, valde refringens, odorem chloroformii redolens, sed nullatenus pungentem, saporis dulcis, parum solubile in aqua, valde solubile in alcohole et in æthere, solubile in oleis.

Ad 4 p. c. alcoholis contineat licet.

Ope glaciei refrigeratum, fit solidum et circa + 7° caloris rursus liquefit. Ebullit calore 144° ad 150°. P. S. : 2,82-2,84.

Si miscela quarumdam guttarum bromoformii, 5 c. c. alcoholis, parvæ quantitatis naphtolis ß et fragmenti natrii hydrici calefiat, liquidum tingatur colore viridente-cæruleo.

Balneo aquæ aliquot centimetra cubica liquoris alcoholici kalii hydrici, quibusdam guttis bromoformii aucta, ad siccitatem evapora; residuum aqua rursus tracta, solutionem acido sulfurico diluto supersatura et 1 c. c. chloroformii adde; postquam addideris aquam chloratam et agitaveris, chloroformium fusco-rubrum assumit colorem.

2 c. c. bromoformii cum 2 c. c. aquæ, 0,1 c. c. liquoris decinormalis natrii hydrici et 3 guttis tincturæ laccæ musci agita; liquidum sit coloris cærulei.

Emulsio, agitatione 2 c. c. bromoformii, 2 c. c. aquæ, 0,5 c. c. cadmii iodati soluti cum amylo et 0,1 c. c. liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi obtenta, non immediate cæruleum colorem assumat.

In excipulum, epistomio vitreo munitum et prævie acido sulfurico lotum, intromittas æqualia volumina (2 c. c.) bromoformii et acidi

sulfurici, dein agita; liquidum ad summum leviter flavidum sumat colorem post 10 minuta.

Caute servetur a luce remotum.

BROMUM.

Liquidum obscure fusco-rubrum, temperatura ordinaria vapores rubescentes emittens. Odor fortis et irritans, odori chlori similis; sapor est acer et valde causticus. Solvitur in circiter 30 partibus aquæ, facile in alcohole, in æthere, in carboneo sulfurato et in chloroformio. Ebullit ad circiter 63° et sine residuo avolat. P. S. : 2,9 ad 3.

In natrio hydrico soluto ex toto solvitur, liquidum limpidum præbens.

20 c. c. solutionis aquosæ bromi cum excedente ferri pulvere usque ad decolorationem agita; filtra, liquido 1 ad 2 c. c. ferri sesquichlorati soluti adde, per unum minutum tubum in aquam bullientem immitte, refrigera et cum aliquot guttis chloroformii agita; hoc solvens violaceo colore non tingitur.

Solutionem bromi in natrio hydrico ad siccitatem evapora et calcinatum residuum kalio bichromico contrito misce; massam dein in ampullulam cornutam cum acido sulfurico immitte et destilla; vapores in ammonium hydricum solutum excepti hoc liquidum flavo colore non tingunt.

Caute servetur in lagenis epistomio vitreo clausis.

CACAO OLEUM.

Substantia pinguis, e seminibus prius tostis *Theobromatis cacao* (L.), prelo calefacto, expressa.

Massa solida, ex flavescente alba, odore saporeque læta, omni rancore libera; liquescit inter 30° et 33°, liquorem præbens limpidum, ex toto solubilem in 2 partibus ætheris; solutio ista per 24 horas limpida remanet; alcoholis absoluti frigidi 100 partibus, alcoholis absoluti fervidi 20 partibus solvitur.

Solutio alcoholica chartam exploratoriam afficere non potest.

Ejus index iodi ne infra 34, neque supra 38 inveniatur. Saponificationis index saltem 192 attingat.

CALABARIENSE SEMEN.

Semen *Physostygmatis venenosi* (Balfour).

Fuscum est vel e fusco rubrum, 2,5 ad 3 centim. longum, 2 circiter centim. latum, 1,5 centim. crassum; oblongum, cujus alterum latus

est rectum, alterum vero valde convexum, sulco nigro, 2 ad 3 millim. lato, per totam seminis longitudinem notatum.

Calabariense semen est inodorum et fere insipidum.

CALCARIA CHLORATA.

Hypochloris calcii.

Pulvis albus aut albido-cinereus, humorem aeris attrahens, odorem chlori emittens, partim in aqua solubilis.

Acido acetico, æquali volumine aquæ diluto, aucta, calcaria chlorata emittit chlorum et præbet solutionem quæ, filtrata, ammonio oxalico præcipitatur.

Contineat 25 p. c. chlori activi, cujus quantitas ita titulatur :

Pondera 0,50 gr. calcariæ chloratæ, quæ in 10 c. c. aquæ diluas, adde solutionem 1 gr. kalii iodati in 10 c. c. aquæ, ac dein 20 guttas acidi chlorhydrici. Iodum liberatum titula ope liquoris natrii hyposulfurosi decinormalis, amylo soluto indicante; ad decolorandum liquidum, indiges ad minus 35 c. c. liquoris titulati.

Servetur a luce et humore remota.

Cave ne cum substantiis reducentibus calcariam chloratam tritures.

Ad parandam Calcariam chloratam solutam :

R.	Calcariæ chloratæ.	30
	Aquæ.	1000

Calcariam chloratam in mortario porcellaneo cum parva quantitate aquæ tritura. Substantia rite divisa, decanthatione secerne partes tenuiores; sedimentum tritura, nova aquæ quantitate dilue; iterum decantha, et ita porro, usquedum calcaria perfecte sit diluta totaque aqua præscripta fuerit adhibita. Liquida misce et filtra.

Paretur in momento usus.

CALCII CHLORHYDROPHOSPHORICI SIRUPUS.

R.	Calcii phosphorici	15,5
	Acidi chlorhydrici	Q. S. (circiter 8).
	Aquæ	340
	Sacchari.	630
	Citri spiritus	7

Calcium phosphoricum, prius aqua dilutum, ope quantitatis stricte necessariæ acidi chlorhydrici solve; in eodem solve saccharum leni calore et sirupo refrigerato adde spiritum citri.

CALCII PHOSPHOLACTICI SIRUPUS.

R.	Calcii carbonici	9
	Acidi lactici	22
	Acidi phosphorici.	88
	Aquæ.	Q. S.

Calcium carbonicum calore solve in acido lactico, 108 partibus aquæ diluto; refrigera, adde acidum phosphoricum, dein, agitando, aquam ut habeas . . . . . 370 partes.

Adde :

Sacchari pulveris 623

Frigide solve et adde :

Citri spiritus 7

1000

Sirupus limpidus, incolor, qui fortiter turbatur si calefiat.

CALCIS LAC.

R.	Calcii oxydati	125
	Aquæ.	875
		1000

Calcium oxydatum cum 75 partibus aquæ misce; pulverem obtentum dilue in 800 partibus aquæ remanentibus.

Ex tempore para.

CALCIUM CARBONICUM PRÆCIPITATUM.

Carbonas calcis.

Pulvis, microcrystallinus, albus, nullius odoris aut saporis, in aqua insolubilis.

Ex integro solvitur calore et quidem fervescens, in excedente acido acetico diluto. Ammonio oxalico, hæc solutio efficit præcipitatum album, solubile in acido chlorhydrico; non autem turbetur nec præcipitetur excedente calcio sulfurico soluto.

1 gr. calcii carbonici cum 30 c. c. aquæ, quæ prævie bullivit, agita et filtra; liquidum filtratum et evaporatum non relinquat residuum æstimabile.

1 gr. calcii carbonici 20 c. c. acidi nitrici diluti solve, fervefac et aquam bullientem adde ita ut habeas 50 c. c. solutionis. Hoc liquidum non immediate turbetur baryo nitrico; nonnisi leviter opalescat argento nitrico; limpidum maneat postquam ammonio hydrico supersaturatum

et ammonio sulfurato auctum fuerit; non immediate cærulescat, si 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti augeatur, nec excedente calcio hydrico soluto præcipitetur.

CALCIUM CHLORHYDROPHOSPHORICUM SOLUTUM.

R.	Calcii phosphorici	25
	Acidi chlorhydrici	15
	Aquæ.	960
		1000

Solve frigide.

CALCIUM GLYCERINO-PHOSPHORICUM.

Pulvis microcrystallinus, albus, odoris expers, saporis frigidi, solubilis in circiter 20 partibus aquæ, quasi insolubilis in alcohole.

In tubo clauso calefactum, calcium glycerino-phosphoricum nigrescit emittitque vapores acres acroleini. In lamina platinea, flagrat cum flamma, carbonescit, relinquitque residuum album, in acido nitrico solubile. Hæc solutio calefacta efficit ammonio molybdænico soluto præcipitatum flavum, in acido nitrico insolubile.

Solutio aquosa 1:20 neutra est aut leviter acida cum lacca musci; ammonio oxalico edit præcipitatum album in acido chlorhydrico diluto solubile; sub influxu caloris, fortiter turbatur et seponit præcipitatum crystallinum, album; nec ammonio molybdænico soluto aut baryo nitrico frigide, nec acido sulfhydrico, nec ammonio sulfurato præcipitatur.

Cum excedente natrio hydrico soluto calefacta, non obfuscatur.

2 c. c. argenti nitrici soluti, addita 2 c. c. hujus solutionis aquosæ 1:20, edunt præcipitatum album quod, addita aqua, integre solvitur.

Acido sulfurico non nigrescit calcium glycerino-phosphoricum.

Miscela 0,5 gr. calcii glycerino-phosphorici et 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur, etiam hora elapsa.

CALCIUM HYDRICUM SOLUTUM.

Aqua calcis.

Calcii oxydati		10
Aquæ	circiter	5

Misce; pulveren obtentum dilue in 300-400 aquæ partibus et interdum conquassa. Post 12 horas abjiciatur liquor supernatans, ipsiusque loco assumantur 1000 partes aquæ. Miscela identitem concutiatur et in vase bene clauso servetur. Liquidum clarum in momento usus decantha.

Calcium hydricum solutum sit limpidum et incolor; chartam exploratoriam cæruleo colore tingat et, ad ebullitionem calefactum, turbetur.

Ad 100 c. c. calcii hydrici soluti neutralisanda 4 ad 4,5 c. c. liquoris normalis acidi chlorhydrici indiges.

CALCIUM HYPOPHOSPHOROSUM.

Hypophosphis calcii.

Crystalli albæ, sine odore, aut pulvis crystallinus, saporis amari ingrati, solubiles in circiter 6 partibus aquæ, non solubiles in alcohole et in æthere.

Si calefiat, calcium hypophosphorosum spargit hydrogenium phosphoratum sponte flagrans.

Solutio aquosa calcii hypophosphorosi 1 : 20 ammonio oxalico efficit præcipitatum album quod non solvitur acido acetico, solvitur vero in acido chlorhydrico. Non præcipitatur calcio hydrico soluto.

Cum acido sulfhydrico, baryo nitrico et argento nitrico, se habeat ut dictum est titulo : *Natrium hypophosphorosum.*

Servetur in lagenis bene clausis.

CALCIUM OXYDATUM.

Calx venalis. — Calcaria usta.

Frusta alba, saporis caustici et alcalini.

Dimidio pondere aquæ affusum, calcium oxydatum vehementer incalescit et in pulverem dilabitur; qui pulvis cum 3-4 partibus aquæ, præbet pultem spissam homogeneam, fere ex toto solubilem in acido nitrico, quin vere effervescat.

Servetur vase epistomio vitreo clauso.

CALCIUM PHOSPHORICUM.

Phosphas calcicus.

Pulvis crystallinus, albus, levis, vix solubilis in aqua, difficile in acido acetico, præbens autem facile solutionem limpidam, quin effervescat, cum acido nitrico diluto, et calcinatione perdens circiter 26 p. c. sui ponderis.

Solutio calcii phosphorici 1 : 20 in acido nitrico diluto edit præcipitatum flavum cum excedente ammonio molybdænico soluto; excedente kalio acetico aucta, efficit ammonio oxalico præcipitatum album.

0,20 gr. calcii phosphorici, cum aliquot centimetris cubicis aquæ mixta, edunt miscelam quæ, argento nitrico aucta, vivide flavum assumit colorem. Si eodem modo fiat de substantia prævie per longum tempus calcinata, apparet coloratio vix flavida.

1 gr. calcii phosphorici adde 3 c. c. stanni chlorati soluti et agita; miscela maneat incolor, etiam post horam.

In tubo probatorio 1 partem calcii phosphorici cum 20 partibus aquæ agita, filtra, liquidum acido acetico acidula, baryo nitrico auge; præcipitatum non efficiatur.

Solutio 1:20, in aqua acido nitrico acidulata, nonnisi leviter turbetur argento nitrico.

Præcipitatum, ex solutione nitrica prostans additione ammonii hydrici soluti excedentis et acidi sulfhydrici, non coloretur.

CALCIUM SULFURATUM SOLUTUM.

Sulphuretum calcii liquidum.

R.	Calcii oxydati	100
	Sulphuris loti	250
	Aquæ	1000

Calcium oxydatum ope 50 partium aquæ calidæ extingue, et, substantia in pulverem tenuem dilapsa, adde sulphurem et aquam præscriptam; miscelam coque per horam, aquam evaporatione absumptam restituendo. Tunc cessa calorem et excipulum ad hanc operationem adhibitum operi et, sedimento deposito, liquidum clarum supernatans decantha. Sedimentum dein in suo pondere aquæ bullientis dilue, filtra, postea hoc filtratum et liquorem prius decanthatum conjunge. Si opus fuerit, dilue ad obtinendum liquidum cujus pondus specificum sit 1,116.

Liquidum limpidum, flavo-rubrum, odorem acidi sulfhydrici spargens et aere admodum mutabile.

Servetur in lagunculis hermetice clausis.

CALCIUM SULFURICUM USTUM.

Pulvis albus et amorphus qui obtinetur subtrahendo aquam gypso sufficienter puro, temperatura 100° ad 150°.

Calcium sulfuricum ustum circiter 5 p. c. aquæ continet.

Dimidia parte sui ponderis aquæ temperatum, infra 5 minuta obduretur.

Ad parandas FASCES GYPSATAS, sume partes telæ longitudinis exempli gratia 4 ad 10 metrorum, latitudinis vero 5 ad 10 centimetrorum et, dum involvis, asperge eas copiose pulvere calcii sulfurici usti.

Calcium sulfuricum ustum, æque ac fasces gypsatæ, servantur in capsulis ferri stannici, bene clausis.

CAMPHORA.

Lauri camphoræ (L.) sublimatione mundata camphora.

Massa alba, translucida, texturæ crystallinæ, attactu subpinguis, odoris fragrantis, penetrantis, saporis aromatici prius calidi, dein refrigerantis.

Camphora liquescit ad 175°; sublimatur absque residuo apparenti; aqua levior est; aqua perparum, alcohole, æthere, chloroformio, unguentis et essentiis facile solvitur.

CAMPHORÆ AQUA.

R. Camphoræ	2
Alcoholis	4
Aquæ	994
	1000

In alcohole camphoram solve, dein misce cum aqua; cum opus habes, filtra.

CAMPHORÆ LINIMENTUM COMPOSITUM.

Balsamum opodeldoch liquidum.

R. Saponis spiritus	700
Camphoræ spiritus	250
Ammonii hydrici soluti.	30
Rorismarini essentiæ	15
Thymoli	5
	1000

CAMPHORÆ OLEUM.

R. Camphoræ	100
Olei officinalis.	900
	1000

CAMPHORÆ SPIRITUS.

R. Camphoræ	100
Alcoholis 80°	900
	1000

CAMPHORÆ UNGUENTUM.

R. Camphoræ	200
Unguenti simplicis	800
	1000

CANNABIS INDICÆ EXTRACTUM.

R. Cannabis indicæ herbæ	Q. V.
Alcoholis 80°	Q. S.

Fac extractum firmum, humoris circiter 10 p. c. continens.

CANNABIS INDICÆ HERBA.

Summitates floridæ vel fructiferæ *Cannabis indicæ* (L.) fœmineæ, in India orientali cultæ.

Pharmacum istud constat e foliis, floribus fœmineis, fructibus et ramis intermixtis; aspectu resinosum est, coloris viridis, odoris proprii.

CANTHARIDINI UNGUENTUM.

R. Cantharidini	0,50
Olei officinalis.	600
Ceræ albæ	400

Pulverem cantharidini balneo aquæ in olei 100 circiter partibus, solve; ceram in residuo oleo liquefac; adde nunc solutionem cantharidini, et commisce donec frigescat.

CANTHARIDINUM.

In amplam ampullam immitte 100 partes cantharidis in pulverem n° 20 redactæ, adde 400 partes chloroformii et miscelam 6 partium acidi chlorhydrici et 2 partium aquæ; per 24 horas in contactu serva et frequenter agita. Chloroformium sejunge et fecem exhauri iteratis hujus solventis additamentis. Solutiones chloroformicas conjunge, filtra et balneo aquæ destilla. Residuo destillationis adde 20 partes petroleini et per 12 horas in vase clauso repone. Filtra super filtrum petroleino respersum et partem insolubilem bis lava, ope 40 partium petroleini; sicca filtrum et materiam parietibus excipuli adhærentem. Totum lava ope aquæ cui addideris, pro 100 c. c., 10 guttas ammonii carbonici soluti, donec liquidum filtratum non jam nisi leviter flavescat; ultimam fac lotionem aqua pura et desicca productum. Cantharidinum solve in alcohole bulliente, et liquidum aliquamdiu calefac cum carbone animali loto; filtretur et crystallisetur.

Crystalli decolores, nitidæ, liquescentes circa 218°, quæ majore calore sublimantur, vix solubiles in aqua, melius in alcohole. Cantharidinum solvitur in 1650 partibus carbonei sulfurati, in 560 partibus ætheris, 65 partibus chloroformii. Calore solvitur in natrio hydrico soluto. Solvitur oleis, cera et resinis, præsertim cum calore.

Solutiones cantharidini vesicant. Solutio aquosa cum chartis reagentibus neutra est.

Si cantharidinum modice calefiat cum acido sulfurico, solvitur quin coloretur acidum; addita aqua, sejungitur.

Comburitur absque residuo.

Caute servetur.

CANTHARIDIS EMPLASTRUM.

R.	Ceræ flavæ	240
	Terebinthinæ resinæ	240
	Terebinthinæ venetæ	90
	Olei officinalis	40
	Balsami Peruviani	30
	Cantharidis pulveris n° 20	360
		1000

Balneo aquæ liquefac ceram et terebinthinæ resinam cum oleo et terebinthina veneta, adde pulverem cantharidis et per horæ quadrantem perge calefacere. Cum massa jam semi-frigida erit et adhuc mollis, admisce balsamum Peruvianum.

Hæc massa, supra fascias linteas extensa, constituit CANTHARIDIS SPARADRAP seu *Sparadrap vesicans* aut *Vesicatorium*.

CANTHARIDIS OLEUM COMPOSITUM.

Ignis belgicus.

R.	Cantharidis pulveris n° 20	60
	Euphorbii pulveris n° 20	30
	Olei officinalis	1000

Per 1 horam balneo aquæ digere et filtra.

CANTHARIDIS TINCTURA.

R.	Cantharidis	100
	Alcoholis 70°	1000

Percolando fac tincturam, quæ saltem 1,50 p. c. residui sicci relinquat.

CANTHARIDIS UNGUENTUM CUM EUPHORBIO.

R.	Picis unguenti	740
	Cantharidis pulveris n° 20	200
	Euphorbii pulveris n° 20	60
		1000

CANTHARIS.

Lytta vesicatoria, insectum siccatum.

Colore gaudet viridi nitente, odore proprio ingrato. Cineres ne ultra 8 p. c. relinquat, et saltem 0,6 p. c. cantharidini contineat.

Cantharidini computatio. — Immitte 25 gr. cantharidis pulveris n° 20 in vas cylindricum cum 100 gr. chloroformii et 2 c. c. acidi chlorhydrici; per 24 horas contactum serva et frequenter conquassa; per chartam siccam filtra, in parva ampulla bene appensa collige 52 gr. colaturæ et chloroformium abdestilla. Super residuum funde 5 c. c. petroleini et, ampulla clausa per 12 horas, sub frequenti motione, repone; super chartam diametri 5 centimetrorum, prius calore 100° siccatam et appensam, dein petroleino madefactam, filtra; quod insolutum remanet filtro impone, ampullam et filtrum semel et iterum ope 10 c. c. petroleini elue, de crystallis ampullæ hærentibus curam non habens. Filtrum sicca cum ampulla; dein aqua, aucta pro 100 c. c. 10 guttis ammonii carbonici soluti, tamdiu elue quamdiu elutionis aqua flava remanserit; tandem ope 5 c. c. aquæ puræ lava; cum stillare desierit, filtrum et ampullam calore 100° ad pondus constans siccabis.

Residuum crystallinum sit saltem 0,075 gr.

CAPILLI VENERIS EXTRACTUM FLUIDUM.

R.	Capilli Veneris herbæ	100
	Aquæ bullientis	1500

Balneo aquæ per horam cum 2/3 aquæ prescriptæ calefac; cola et exprime; fecem cum reliqua tertia parte aquæ bullientis commisce, exprime, colaturas conjunge, filtra et vapora usque ad . . . 70 partes.

Post refrigerationem adde :

Aurantii citri florum spiritus	5
Alcoholis	25

Sine subsidat et filtra.

CAPILLI VENERIS HERBA.

Adianti capilli Veneris (L.) herba tota.

CAPILLI VENERIS SIRUPUS.

R.	Capilli Veneris extractum fluidum . . .	25
	Sirupi simplicis	975
		1000

CAPSICI FRUCTUS.

Capsici annui (L.) capsula.

Longa est, conica, cujus pericarpium rubrum, lucidum et coriaceum; apice cava est, in loculos divisa, semina lenticularia flavescentia continentes.

Pericarpium et semina sapore gaudent urenti, acri et permanente.

CAPSICI TINCTURA.

R.	Capsici fructus.	100
	Alcoholis 70°	1000

Fac tincturam quæ saltem 1,25 p. c. residui sicci relinquat.

Ad hanc præparationem perficiendam, pericarpium et grana in pulverem conterenda sunt.

CAPSULÆ.

Involucra variis modis componere licet.

Constituantur substantiis inactivis, solvantur in succis digestivis nec medicamentis inclusis alterentur.

Miscelam sequentem adhibere potes.

R.	Gelatinæ.	1
	Glycerini	2
	Aquæ	1

Folia gelatinæ prius quantalibet aqua cooperi, post 12 horas extrahe, lava et exstilla; in miscelam glycerini et aquæ immitte. Balneo aquæ in vase cooperto, calefac; cum gelatina erit soluta, vase aperto, ad debitam consistentiam concentra.

Axiculo rotundo formas affige, ex acie polita confectas, in modum olivæ desinentes; formas paraffino molli leviter illitas, in mixturam supradictam immitte et retrahe. Totum apparatum in gyrum move ut stratum gelatinæ æqualiter disponatur; cum jam solida fuerit, in loco frigido repone. Post certum tempus, capsulas gelatinæ e formis extrahe ipsisque pedunculum prope olivam abscinde. Formas vacuas ligno duro ad hoc inciso include et, ostiolo versus cœlum posito, parvo clystere vitreo ad apicem acuto, medicamine imple; guttula massæ fusæ gelatinosæ claude. Sedulo cura ut probe claudantur.

Creosotum et guayacolum, pro capsulis adhibita, triplici vel quadruplici olei officinalis pondere prius augeri possunt.

Vasis in quibus capsulæ servantur dosis medicaminis singulis capsulis contenta inscribatur.

CARBONEUM SULFURATUM DEPURATUM.

Sulphuretum carbonis.

R.	Carbonei sulfurati venalis	1000
	Hydrargyri metallici	30

Duas substantias immitte in lagenam 1 litri, parietibus solidis, per aliquod tempus vehementer conquassa, liquidum enatans filtra, ipsi adde 30 partes paraffini liquidi et caute destilla.

Liquidum decolor, valde mobile, valde refringens, odoris peculiaris, saporis pungentis; paucissime solubile in aqua, solvitur in alcohole, in æthere et in oleis. Balneo aquæ calefactum, ebullit circa 46° et evolat quin relinquat æstimabile residuum. Flagrat flamma cœrulea, spargens odorem anhydridi sulfurosi. P. S. : 1,268 ad 1,270.

Si 10 c. c. carbonei sulfurati agites cum 5 c. c. aquæ, liquor aquosus laccam musci nec rubefaciat nec decoloret; plumbum aceticum solutum eumdem non obfuscet.

Servetur temperatura inferiori, a luce remotum, in lagenis bene clausis, omnino plenis.

CARBONIS LIGNI PULVIS.

R.	Carbonis ligni.	Q. V.

In vase operto calefac carbonem, usquedum non amplius emittat vapores; refrigeratum redige in pulverem n° 40, adde sufficientem aquæ quantitatem ut habeatur pasta quam cum multa aqua diluas; sine subsidat, dein lava, usquedum lotionis aqua laccam musci non mutet; sicca.

Pulvis niger, levis, odoris et saporis expers, nihil cedens alcoholi.

In lamina platinea calefactus, carbo ardet sine flamma et paucos relinquit cineres. Hi, aqua acido nitrico aucta tractati, præbent solutionem quæ filtrata non coloratur acido sulfhydrico.

Servetur in vase clauso.

CARBONIS TABELLÆ.

R.	Carbonis ligni pulveris	200
	Tragacanthæ gummi	6
	Sacchari	794
	Aquæ	Q. S.

Misce et in tabellas 1 gr. divide.

CARDUI BENEDICTI EXTRACTUM FLUIDUM.

R.	Cardui benedicti herbæ siccæ	Q. V.
	Aquæ	Q. S.

Cum herba exhausta fuerit, colaturam vapora donec temperatura ordinaria pondus specificum 1,25 attingat; adde nunc alcoholis 50° pondus æquale; postquam subsederit, filtra.

Extractum hoc fluidum saltem 17 p. c. residui sicci relinquat.

CARDUI BENEDICTI HERBA.

Cnici benedicti (L.), summitas florida.

Folium est sinuatum, denticulatum, spinosum, pilis lanosis cooperatum. Flosculi in capitulos flavos redacti.

CARRAGEEN.

Algæ sunt duo *Chondrus crispus* (Lingbye) et *Gigartina mammillosa* (Agardh).

Carrageen est cartilaginosum, ex albo flavescens, diaphanum.

Si 1 pars carrageen 5 partibus aquæ exhauriatur, liquidum non afficit chartam cæruleam exploratoriam.

CARYOPHYLLI FLOS.

Caryophylli aromatici (L.) flos nondum evolutus.

Fuscus est, exsudans, dum conteritur, partem essentiæ quam continet.

CASCARÆ SAGRADÆ CORTEX.

Purshianæ cortex.

Cortex *Rhamni purshianæ.* (Déc.)

2 millimetris circiter crassus, externe cinereo-fuscus, interne fuscus et tenuiter striatus.

CASCARÆ SAGRADÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Cascaræ sagradæ corticis	100
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum fluidum quod saltem 25 p. c. residui sicci relinquat.

CASCARÆ SAGRADÆ EXTRACTUM SICCUM.

R. Cascaræ sagradæ corticis	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum siccum.

CASSIÆ FRUCTUS.

Cassiæ fistulæ (L.) legumen, cujus pulpa tantum adhibetur.

CATECHU.

E ligno *Acaciæ catechu* (Willd.) et *Acaciæ sumæ* (Kurz.) aquosum extractum.

Frustis constat inæqualibus, ponderosis, extra e fusco nigris, intra e fusco rubris, fracturæ conchoideæ nitidæ. Odore nullo gaudet, sapore adstringente, saccharato et leviter amaricante.

Calore 100° prius siccatum, si aqua ferventi vel alcohole exhauriatur catechu, non minus quam 80 p. c. ponderis sui amittit; igne combustum cinerum ne ultra 6 p. c. relinquat.

CATECHU TINCTURA.

R. Catechu	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 10 p. c. residui sicci relinquat.

CENTAURII MINORIS EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Centaurii minoris herbæ	Q. V.
Aquæ	Q. S.

Extrahe, colaturamque vapora, donec, ad cubiculi temperaturam, specificum pondus 1,25 attingat; adde tunc alcoholis 50° æquale pondus: postquam subsederit, filtra.

Extractum fluidum relinquat saltem 20 p. c. residui sicci.

CENTAURII MINORIS HERBA.

Herba florida *Erythrææ centaurii* (Pers.).

Caulis est angulatus, superne ramosus; folia integra, opposita; flores rubri, in cymos corymbosos dispositi.

Planta tota amarissima.

CERA ALBA.

Cera dealbata *Apis mellificæ* (L.).

Est fragilis, in tenuissimis laminis diaphana, fere inodora et insipida.

Characteres et puritatis notas, sub articulo *Cera flava* relatas, præbere debet.

CERA FLAVA.

Cera *Apis mellificæ* (L.), fusione favorum mellis obtenta.

Flava est, solida, fracturæ granulosæ. P. S.: 0,96 ad 0,97. Calore 63°-65° liquescit, liquidum præbens limpidum, odoris amœni.

In vase Berolinense, alcoholem continens, guttatim infunde ceram, quam minimo calore fusam; globulos ita obtentos per 24 horas in aere serva, dein immitte in miscelam 2 partium alcoholis 90° et 7 partium aquæ, a qua omnem aeris bullam, diuturna requie temperatura 15°, expuleris; globuli ceræ natent oportet in liquido sive immediate, sive addita aqua sufficienti ut liquidum sit 0,962 ad 0,966 densum.

Si, per aliquot minuta, 1 gr. ceræ cum 20 gr. alcoholis fervefeceris, et solutionem jam frigidam, post unam horam filtraveris, liquorem habebis qui neque chartam exploratoriam rubefacere poterit, neque admixtione aquæ vehementer turbari.

In 6 ad 8 c. c. aquæ frigidæ, natrio borico saturatæ, frustulum ceræ si calefeceris sub continua motione usque dum liquefiat cera, liquidum aquosum leviter opalinum fieri poterit, non vero lactinum.

Balneo aquæ 5 gr. ceræ flavæ cum 50 c. c. alcoholis ad ebullitionem fervefac, adde 20 guttas phenolphtaleini soluti, dein liquorem alcoholicum semi-normalem kalii hydrici; ut color ruber permaneat, adhibenda sunt 3,3 ad 4,3 c. c. hujus liquoris gradati; unde constat indicem aciditatis stare inter 18,5 et 24.

Liquido præcedenti adde 20 c. c. ejusdem liquoris semi-normalis alcalini, miscelam balneo aquæ per semi-horam ad ebullitionem fervefac et acidum chlorhydricum semi-normale immitte donec excedens kalium hydricum neutrum fiat; 6,5 ad 7 c. c. liquoris acidi adhibenda sunt; unde constat indicem ætheris stare inter 75,6 ad 72,8.

CERATUM LABIALE.

R. Paraffini solidi.	300
Vaselini	694
Rosæ essentiæ.	1
Bergamottæ essentiæ.	5
	1000

Colora ope alkannæ.

CHAMOMILLÆ AQUA.

R. Chamomillæ spiritus.	30
Aquæ	970
	1000

Ex tempore para.

CHAMOMILLÆ ESSENTIA.

Essentia e floribus *Anthemidis nobilis* (L.) destillatione elicita. Liquor cæruleus, qui decursu temporis fit viridis, dein e luteo fus-

cus; est spissus, odoris gravis, saporis urentis, duplici volumine alcoholis 80° solubilis.

P. S. : 0,905 ad 0,915.

Index saponificationis 250 ad 300.

CHAMOMILLÆ FLOS.

Anthemidis nobilis (L.) capitulus.

Præferantur capituli, quorum flosculi sunt vere albi.

CHAMOMILLÆ OLEUM CAMPHORATUM.

R. Chamomillæ essentiæ	1
Camphoræ olei	999
	1000

CHAMOMILLÆ SPIRITUS.

R. Chamomillæ essentiæ	10
Alcoholis 80°	990
	1000

CHARTA NITRATA.

R. Kalii nitrici	20
Aquæ	80

Solve; chartam bibulam hac solutione resperge et sicca.

CHARTA PICATA.

R. Terebinthinæ resinæ	500
Picis liquidæ	350
Ceræ flavæ	170
	1000

Liquefac et chartam illini hujus mixturæ strato tenui.

CHARTA SINAPISATA.

Charta illita sinapis farina, oleo pingui libera et bene adhærente.

Essentiæ computatio. — In ampullam vitream mitte 100 centimetra quadrata hujus chartæ in frustula dissectæ; adde 50 c. c. aquæ 20°-25° calidæ; ampullam obtura; per decem minuta contactum serva et interdum concute; adde 10 c. c. alcoholis et 2 c. c. olei olivarum et destilla. In ampullam vitream ad 100 c. c. signatam, in quam fudisti 10 c. c. ammonii hydrici soluti, 20 ad 30 c. c. prioris destillati collige, adde 10 c. c. argenti nitrici liquoris decinormalis, perfice 100 c. c. aqua sufficienti, et obtura vasculum; per 24 horas frequenter concute, filtra

et collige 50 c. c. liquidi limpidi, adde 6 c. c. acidi nitrici, 1 c. c. ferri sulfurici oxydati ammoniati soluti; grada ope liquoris ammonii thiocyanati decinormalis. Ut liquor rubefiat, ad summum 3,8 c. c. hujus liquoris gradati adhibenda erunt, quod indicat ad minimum 0,01189 gr. essentiæ sinapis pro 100 centimetris quadratis chartæ sinapisatæ.

CHINÆ CORTEX.

Cortex diversarum specierum generis *Cinchonæ*, imprimis *Cinchonæ succirubræ* (Pavon), *Cinchonæ calisayæ* (Weddell) et *Cinchonæ Ledgerianæ* (Moens).

Si 0,10 gr. corticis tubulo probatorio flamma nuda calefeceris, picem rubram obtinebis.

Quantum alcaloideorum contineat, consequi poteris sectando normam relatam verbo *Chinæ pulvis*.

CHINÆ DECOCTUM.

R. Chinæ extracti fluidi	100
Aquæ	900
	1000

Misce et filtra.

CHINÆ EXTRACTUM.

R. Chinæ corticis	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum siccum. Prius calore 100° siccatum, 10 p. c. alcaloideorum, e quibus saltem 2 p. c. chinini, contineat.

Alcaloideorum computatio. — In ampullam vitream 200 c. c. amplam, mitte 6 gr. chinæ extracti prius siccati et in pulverem tenuissimum redacti, cum 180 gr. chloroformii et 10 c. c. ammonii hydrici soluti; per 3 horas contactum serva frequenter et vehementer concutiendo; perge ut dicetur verbo *Chinæ pulvis*.

Numerum centimetrorum cubicorum natrii hydrici liquoris décinormalis adhibitum ex 12,50 subtrahes; differentia cum 0,0309 multiplicata quantitatem præbebit alcaloideorum in 2,50 gr. chinæ extracti contentam; quam cum 40 multiplicabis ut rationem pro centum invenias.

5 c c. alcaloideorum solutionis aquosæ, cum 1 c. c. aquæ chloratæ mixta, quibus aliquot ammonii hydrici soluti guttas infuderis, colorem ducent virentem.

Alcaloideorum si ultra 10 p. c quantitatem repereris, sacchari lactis ope ad hanc rationem reduces.

CHINÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Chinæ corticis in pulverem n° 20 redacti .	100
Acidi chlorhydrici diluti	20
Glycerini	20
Aquæ	20

Misce, repone per 6 horas, sufficienti aqua exhauri juxta normam perficiendorum extractorum fluidorum. Percolati 70 priores partes seorsim collige; reliquas colaturas concentra ad 20 partes, quas solve in servatis 70 prioribus partibus, adde tandem 10 alcoholis partes ut habeas 100 partes extracti fluidi.

Cum triplici volumine aquæ permixtum, extractum chinæ fluidum solutionem limpidam aut vix turbidam præbet, quæ alcoholis adjunctione limpida evadit. Contineat 5 p. c. alcaloideorum, e quibus chinini saltem 1 p. c.

Alcaloideorum computatio. — 12 gr. extracti fluidi, cum 180 gr. chloroformii et 5 c. c. ammonii hydrici soluti in ampullam vitream 200 c. c. amplam immitte; per 3 horas frequenter et vehementer concutiendo contactum serva; perge nunc juxta normam verbo *Chinæ pulvis* relatam.

5 c. c. alcaloideorum solutionis aquosæ cum 1 c. c. aquæ chloratæ mixta, quibus aliquot ammonii hydrici soluti guttas infuderis, colorem ducent virentem.

Alcaloideorum si ultra 5 p. c. quantitatem repereris, ad hanc rationem reduces addendo miscelam e 10 partibus alcoholis, 20 partibus glycerini et 70 partibus aquæ constantis.

CHINÆ EXTRACTUM FLUIDUM CUM KALIO IODATO.

R. Kalii iodati	3,00
Chinæ extracti fluidi	25,00
Aurantiorum corticum extracti fluidi . .	5,00
Juglandis extracti fluidi	50,00
Alcoholis 30°.	16,70
Anetholi	0,30
	100,00

CHINÆ PULVIS.

In hoc pulvere n° 30 siccato adsint 5 p. c. alcaloideorum, e quibus chinini saltem 1 p. c.

Alcaloideorum computatio. — In ampullam vitream, 200 c. c. amplam, immitte 12 gr. chinæ pulveris n° 30, prius calore 100° siccati, cum

180 gr. chloroformii et 10 c. c. ammonii hydrici soluti; repone per 3 horas sub frequenti et vehementi conquassatione. Adde nunc 3 gr. pulveris gummi tragacanthæ, dein 20 c. c. aquæ; vehementer conquassa; liquori motum giratorium incute ut facilius glomerentur pulveres et chloroformium disjungatur; repone per unam horam; tum per chartam siccam et coopertam cito filtra; colaturæ 150 gr. parva ampulla vitrea collige. Chloroformium destillatione expelle et residuum sicca.

Solve nunc iterum residuum istud ope 20 c. c. chloroformii, et in ampullam separatoriam solutionem immitte; parvam ampullam binis vicibus elue ope 5 c. c. chloroformii et tandem ope 60 c. c. ætheris; liquores in ampullam separatoriam immitte; adde 25 c. c. acidi chlorhydrici liquoris decinormalis, vehementer et pluries concute; ad subsidendum repone; aquam acidam per chartam madidam filtra; solutionem æthero-chloroformicam, dein chartam ope 10 c. c aquæ, ternis vicibus elue. Liquoribus aquosis collectis adde quantum satis aquæ ut 100 c. c. facias; ex his sume 50 c. c., adde 1 c. c. hæmatoxylini alcohole soluti, et deinde, sub continua motione, natrii hydrici liquorem decinormalem, usquedum miscela prius lutea colorem ducat e violaceo subcœruleum.

Nunc e 12,5 subtrahe numerum centimetrorum cubicorum natrii hydrici; differentiam cum 0,0309 multiplica; hoc modo invenies quantitatem alcaloideorum in 5 gr. chinæ pulveris existentium; cum 20 multiplica ut rationem p. c. invenias.

E solutionis alcaloidicæ reliquis 50 c. c. sume 5 c. c., adde 1 c. c. aquæ chloratæ; color oriatur virens, additis aliquot guttis ammonii hydrici soluti.

Si alcaloideorum numerus non est 5 p. c, æquus, adde quantum satis chinæ uberioris vel pauperioris.

CHINÆ SIRUPUS.

℞. Chinæ extracti fluidi, ...	100
Sirupi simplicis	900
	1000

Alcaloideorum 0,50 p. c. continet, e quibus chinini saltem 0,10.

CHINÆ SIRUPUS CUM KALIO IODATO.

℞. Chinæ extracti fluidi cum kalio iodato . .	100
Sirupi simplicis	900
	1000

CHINÆ SIRUPUS CUM KALIO IODATO ET OLEO JECORIS ASELLI.

R. Jecoris aselli olei	100
Anetholi	5
Tragacanthæ gummi pulveris	2
Acaciæ gummi pulveris	8
Mellis depurati	400
Sirupi simplicis	385
Chinæ extracti fluidi cum kalio iodato	100
	1000

Misce oleum et anetholum cum utroque gummi, dein reliquos liquores gradatim, ita ut emulsionem consequaris.

CHINÆ TINCTURA.

R. Chinæ corticis	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac tincturam quæ 1 p. c. alcaloideorum, e quibus chinini saltem 0,20, contineat.

Alcaloideorum computatio. — Tincturæ 60 gr. ad siccum vapora, residuum in pulverem subtilissimum comminue, addendo juvandi gratia 10 gr. pumicis; pulverem in ampullam vitream, 200 c. c. amplam, immitte et prosequere, ut dictum est verbo *Chinæ pulvis.*

Numerum centimetrorum cubicorum liquoris natrii hydrici decinormalis adhibitum e 12,50 subtrahes; differentiam cum 0,0309 multiplicabis; quantitatem sic invenies alcaloideorum in 25 gr. tincturæ contentorum; multiplica cum 4 ut rationem p. c. invenias.

Si 5 c. c solutionis alcaloideorum aquosæ cum 1 c. c. aquæ chloratæ mixtis, aliquot ammonii hydrici soluti guttas affuderis, color viridis orietur.

Si alcaloideorum quantitas 1 p. c. prætereat, eam alcoholis 60° admixtione ad hanc normam reduces.

CHINÆ TINCTURA COMPOSITA.

R. Chinæ tincturæ	500
Aurantiorum corticum tincturæ	350
Cinnamomi tincturæ	20
Croci tincturæ	30
Alcoholis 60°	100
	1000

Quotiescumque præscribetur *Tinctura Whytti*, vel *Tinctura Huxhami*, tincturam chinæ compositam præstabis.

CHINÆ VINUM.

R. Chinæ extracti fluidi.	20
Vini fortioris	980
	1000

Vinum hoc continet 0,10 p. c. alcaloideorum, e quibus 0,02 saltem chinini.

CHININUM HYDROBROMICUM.

Bromhydras quininæ neutralis.

Aciculæ tenues, sericeæ, saporis amari, solubiles in 50 ad 60 partibus aquæ, in 1 parte aquæ bullientis, in 10 circiter partibus chloroformii et in glycerino.

5 c. c. solutionis aquosæ 1:200 cum 1 c. c. aquæ chloratæ et excedente ammonio hydrico soluto viridem sumunt colorem.

Solutio aquosa 1:50 neutra est aut levissime alcalina; non fluorescit; acido nitrico diluto et argento nitrico tractata, edit præcipitatum flavido-album, quod in filtro excipitur et lavatur; hoc præcipitatum, cum ammonio carbonico soluto 1 : 5 agitatum et filtratum, non solvitur; solutio ammonica filtrata opalescere potest, sed acido nitrico diluto supersaturata non edit præcipitatum flocceum.

Solutio aquosa 1:50 ad summum leviter turbatur baryo nitrico; non præcipitatur excedente acido sulfurico diluto.

Si agites 1 partem chinini hydrobromici cum 20 partibus ætheris et 2 partibus ammonii hydrici soluti, obtines, post sufficientem sepositionem, liquidum e 2 stratis superpositis omnino limpidis constitutum.

Calore 100° siccatum, chininum hydrobromicum ad summum 5 p. c. sui ponderis amittit; absque residuo flagrat.

Servetur a luce remotum.

CHININUM HYDROCHLORICUM.

Chlorhydras quininæ.

Aciculæ albæ, sine odore, saporis amari, solubiles in 34 partibus aquæ frigidæ, in 3 partibus aquæ bullientis, in 3 partibus alcoholis et in glycerino.

5 c. c. solutionis aquosæ 1 : 200, 1 c. c. aquæ chloratæ et excedente ammonio hydrico soluto aucta, viridi colore tinguntur.

Solutio aquosa chinini hydrochlorici, frigide saturata, cum lacca musci neutra est; non fluorescit. Argento nitrico edit præcipitatum album solubile in ammonio hydrico soluto et in ammonio carbonico; acido sulfurico diluto non turbatur; ad summum leviter opalescit baryo nitrico.

0,05 gr. chinini hydrochlorici cum 10 guttis acidi sulfurici, auctis necne 1 gutta acidi nitrici, colorem flavo-rubescentem non assumunt.

Si agites 1 partem chinini hydrochlorici cum 20 partibus ætheris et 2 partibus ammonii hydrici soluti, obtines, post debitam sepositionem, liquidum e 2 stratis superpositis omnino limpidis constitutum.

Desiccatum ad 100°, chininum hydrochloricum ad summum 9,1 p. c. sui ponderis amittit; absque residuo flagrat.

Servetur a luce remotum.

CHININUM SULFURICUM.

Sulphas quininæ.

Aciculæ sericeæ albæ, sine odore, saporis amari, aere facile fatiscentes, solubiles in circiter 800 partibus aquæ frigidæ, in 25 partibus aquæ bullientis, in 6 partibus alcoholis bullientis.

Solutio aquosa chinini sulfurici cum lacca musci neutra est; addito acido sulfurico diluto, fluorescit cœruleo colore. Si 5 c. c. solutionis aquosæ addas 1 c. c. aquæ chloratæ et excedens ammonium hydricum solutum, color viridis enascitur.

Solutio aquosa, acido nitrico acidulata, edit præcipitatum album baryo nitrico; non præcipitatur argento nitrico.

0,05 gr. chinini sulfurici cum 10 guttis acidi sulfurici, auctis necne 1 gutta acidi nitrici, colorem flavo-rubescentem non assumunt.

Temperatura 40° ad 50°, 1 gr. chinini sulfurici integre solvatur in 7 c. c. miscelæ 2 voluminum chloroformii cum uno volumine alcoholis absoluti; solutio refrigerata nullum deponat sedimentum.

In bulbulo ponderato solve ad ebullitionem 1 gr. chinini sulfurici in 35 c. c. aquæ; adde 0,30 gr. kalii oxalici neutrius in 5 c. c. aquæ soluti et dilue, si opus sit, ita ut bulbus contineat substantiam ponderis 41,3 gr.; bulbum tene per dimidiam horam ad calorem 20°, interdum conquassando, filtra super obturamentum asbesticum et collige 10 c. c. liquidi filtrati; addita 1 gutta natrii hydrici soluti, hoc liquidum non opalescat, etiam post aliquot minuta.

Desiccatum calore 100°, chininum sulfuricum ultra 15,5 p. c. sui ponderis ne amittat; absque residuo flagrat.

Servetur a luce remotum in lagenis bene clausis.

CHLORALI SIRUPUS.

R. Chlorali hydrati	50
Aquæ	50
Menthæ sirupi	900
	1000

CHLORALUM HYDRATUM.

Hydras chlorali.

Crystalli decolores, pellucidæ, odoris pungentis specialis, saporis leviter amari et acerbi, solubiles in quantitate aquæ suo pondere minore, in alcohole et in æthere, parum vero in oleis, in carbonco sulfurato et in chloroformio.

Chloratum hydratum liquescit calore circiter 58°; magis calefactum dissociatur et sine residuo avolat.

Cum camphora trituratum, præbet massam lutosam, in aqua insolubilem.

Cum natrio hydrico soluto generat calore liquidum turbatum e quo seponitur chloroformium.

Si calefacias miscelam particulæ chlorali hydrati cum aliquot centimetris cubicis solutionis naphtholi β in natrio hydrico soluto, liquidum fit cœruleo virescens.

Solutio 1 gr. chlorali hydrati in 10 c. c. alcoholis non nisi leviter laccam musci rubefaciat, nec immediate præcipitetur argento nitrico.

Miscela 0,05 gr. chlorali hydrati et 5 c. c. acidi sulfurici, frequenter conquassata in vase clauso, non nigrescit, etiam post horam.

Solve 1 gr. chlorali hydrati in 6 c. c. aquæ, adde 0,5 gr. natrii hydrici et moderate calefac; auge liquidum filtratum kalio iodato soluto cum iodo usquedum tingatur flavo colore; conquassa et per horam sepone; solutio non deponit crystallos iodoformii.

Servetur in lagenis bene clausis, a luce remotum.

CHLOROFORMII AQUA.

R. Chloroformii	5
Aquæ	995
	1000

Conquassa usquedum chloroformium solvatur.

CHLOROFORMIUM.

Liquidum limpidum, coloris expers, valde refringens, odoris specialis, saporis saccharati, parum solubile in aqua, cum alcohole, æthere, oleis et essentiis in quacunque proportione miscibile. Chloroformium ex toto avolat et ebullit calore 60°-62°. P. S.: 1,485 ad 1490. Circiter 1 p. c. alcoholis continere potest.

Cum liquore alcoholico kalii hydrici et aliquot guttis anilini calefactum, chloroformium spargit odorem typicum isonitrili.

Cum duplo volumine aquæ agitatum, liquido aquoso non tribuat ut laccam musci vere rubefaciat.

Si iteratim agites 20 c. c. chloroformii cum 15 c. c. acidi sulfurici in lagena cylindracea 3 cent. diametri, epistomio vitreo clausa et prævie acido sulfurico lota, acidum non coloretur etiam post horam.

Charta filtratoria, chloroformio imbuta, dein aeri exposita, evaporato liquido, nullum spargat odorem.

In tubum probatorium, in quem prius intromiseris 5 c. c. chloroformii, prudenter infunde argentum nitricum solutum suo volumine aquæ dilutum; nulla appareat turbatio ubi se tangunt.

Natrium hydricum solutum, cum suo volumine chloroformii calefactum, non obfuscetur.

Cadmium iodatum solutum cum amylo, cum suo volumine chloroformii agitatum, non cœrulescat.

Servetur in lagenis bene clausis, a luce remotum.

CHOCOLATA.

R. Cacao pastæ	500
Sacchari	500
	1000

CHRYSAROBINUM.

Pulvis crystallinus, flavus, qui obtinetur depuratione substantiæ formatæ in imo trunco *Andiræ Ararobæ* (Aguiar). Cum parvo residuo solvitur in 30 partibus benzoli frigidi, in 150 partibus alcoholis bullientis, in 150 partibus chloroformii calidi et in 230 partibus carbonei sulfurati; vix solvitur in æthere.

Cum 2000 partibus aquæ bullientis tractatum, chrysarobinum nonnisi partim solvitur; liquidum aquosum, calide filtratum, flavum colorem et nullum saporem habet, chartam exploratoriam non mutat et ferro sesquichlorato soluto non aliter coloratur.

Calcium hydricum solutum, cum chrysarobino agitatum, post unum diem contactus violaceo-rubrum assumit colorem.

0,001 gr. chrysarobini, super guttam acidi nitrici fumantis depositum, solvitur rubefaciens acidum; hoc liquidum violaceum sumit colorem ammonio hydrico soluto.

0,20 gr. chrysarobini, in capsula calefacta, liquescunt, dein præstant vapores flavos et tantillum carboneum, quod tandem aliquando flagrat absque residuo æstimabili.

CINÆ FLOS.

Semen contra.

Capitulus nondum evolutus *Artemisiæ maritimæ* (L.).

Capitulus glaber est, e luteo viridescens, odoris aromatici, saporis refrigerantis, amari, ingrati.

Plantæ fragmenta quæcumque floribus ne sint admixta.

CINNAMOMI AQUA.

R. Cinnamomi corticis	100
Aquæ	Q. S.

Destilla ut 1000 partes colligas; conquassa et per chartam madefactam filtra.

CINNAMOMI CORTEX.

Cortex, majori parte suberis et epidermatis exutus, *Cinnamomi zeylanici* (Breyne) vel *Cinnamomi cassiæ* (Blume).

Cinnamomi cortex et pulvis, prius calore 100° siccati, si comburantur, plus quam 7 p. c. cineres relinquere nequeunt.

CINNAMOMI ESSENTIA.

Essentia e foliis et caulibus *Cinnamomi cassiæ* (Blume) destillatione elicita

Liquor luteus vel subfuscus, odoris peculiaris, saporis prius dulcis, dein urentis, 1 ad 2 partibus alcoholis 80° solubilis.

P. S. : 1,055 ad 1,070.

Si unam partem essentiæ cinnamomi cum una parte acidi nitrici fumantis miscueris, miscela infra 5° conservata congelatur, massam exhibens crystallinam albam.

Essentiæ alcohole solutæ 0,20 : 10 si unam guttam ferri sesquichlorati soluti addideris, color orietur fuscus; nullus color cœruleus vel viridis appareat.

Balneo aquæ calefac per 2 horas sub frequenti motione, mixturam e 10 c. c. essentiæ et 90 c. c. natrii bisulfurosi soluti constantem; postquam subsederit, ne liquor supereminens mensura 3 c. c. excedat.

Balneo aquæ vaporata, essentia ne ultra 8 p. c. residui fixi relinquat.

Etiam adhiberi possunt *Aldehydum cinnamicum purum* et *Essentia cinnamomi e Ceylan*, ex *Cinnamomo zeylanico* (Breyne) extractum.

CINNAMOMI SIRUPUS.

R. Cinnamomi spiritus	30
Sirupi simplicis	970
	1000

CINNAMOMI SPIRITUS.

R. Cinnamomi essentiæ.	10
Alcoholis 80°	990
	1000

CINNAMOMI TINCTURA.

R. Cinnamomi corticis	200
Alcoholis 80°	1000

Fac tincturam quæ saltem 2 p. c. residui sicci relinquat.

CITRI ESSENTIA.

Essentia e cortice recenti fructus *Citri limoni* (Risso) expressa.

Liquor est limpidus, pallide flavus, odoris grati. P. S. : 0,858 ad 0,861.

In 5 partibus alcoholis solvitur; quæ solutio opalescere potest.

Ejus vis rotatoria stat inter + 58° et + 65°.

CITRI SPIRITUS.

R. Citri essentiæ	10
Alcoholis 80°	990
	1000

COCAINUM HYDROCHLORICUM.

Chlorhydras cocainæ.

Crystalli anhydræ, pellucidæ, absque colore et odore, liquescentes calore circiter 183°, solubiles in 0,75 partibus aquæ, facile solubiles in alcohole 60°, difficile in alcohole absoluto, solubiles in chloroformio, nullatenus in æthere et in benzolo, flagrantes absque residuo.

Solutio aquosa cum lacca musci neutra est; amare sapit et sensum demit pellibus mucosis; cum natrio hydrico edit præcipitatum album, in alcohole et in æthere solubile. Acido nitrico acidulata, argento nitrico edit præcipitatum album. Hydrargyrum bichloratum albide turbat solutionem aquosam 1:50, acido chlorhydrico diluto acidulatam; kalium iodatum solutum cum iodo cum ipsa edit præcipitatum fuscum.

Si partes æquales cocaini hydrochlorici et hydrargyri monochlorati tritures et miscelam alcohole madefacias, mixtura nigrescit.

Si per 5 minuta 0,10 gr. cocaini hydrochlorici et 1 c. c. acidi sulfurici paululum supra 100° calefacias, et dein liquido prudenter addas 2 c. c. aquæ, spargitur odor ætheris methylbenzoici et refrigeratione secedunt crystalli acidi benzoici, quæ, additis 2 c. c. alcoholis, solvuntur.

0,10 gr. cocaini hydrochlorici solvantur frigide in 1 c. c. acidi sulfurici, quin coloretur liquidum; idem fiat si loco acidi sulfurici assumatur acidum nitricum.

Solve 0,10 gr. cocaini hydrochlorici in 5 c. c. aquæ, adde 5 guttas

acidi sulfurici diluti, dein 5 guttas kalii permanganici soluti; liquidum violaceum sumit colorem per aliquod tempus perstantem.

Solve 0,10 gr. cocaini hydrochlorici in 85 c. c. aquæ in solido excipulo vitreo; adde 0,2 c. c. ammonii hydrici soluti ratione 10 p. c., agita vehementer bacillo vitreo et extremitate bacilli fortiter defrica parietes excipuli; editur præcipitatum crystallinum, quod post 10 circiter minuta depositum est; liquor innatans non opalescat.

Caute servetur.

CODEINI SIRUPUS.

R. Codeini phosphorici.	3
Aquæ	17
Sirupi simplicis	980
	1000

CODEINUM PHOSPHORICUM.

Crystalluli aciculares, albæ aut levissime flavescentes, odoris expertes, saporis amari, solubiles in circiter 4 partibus aquæ, minus solubiles in alcohole.

Solutio aquosa 1:20 laccam musci rubefacit; argento nitrico edit præcipitatum flavum, solubile in acido nitrico, et excedente natrio hydrico præcipitatum album.

Si 0,01 gr. codeini phosphorici 10 c. c. acidi sulfurici puri augeatur, non apparet coloratio æstimabilis; si eodem modo agatur sed cum acido sulfurico prævie 1 gutta ferri sesquichlorati soluti aucto, enascitur coloratio cœrulea.

Solutio aquosa 1:20, acido chlorhydrico acidulata, baryo nitrico non immediate turbetur.

0,05 gr. codeini phosphorici, super imam capsulam porcellaneam extensa, 3 ad 4 c. c. acidi iodici soluti 1:100, acido sulfurico diluto acidulati auge; miscela obfusco-flavo colore non tingatur.

Ad 100° desiccatum, codeinum phosphoricum circiter 8 p. c. partes sui ponderis amittit quin coloretur; ad summum sumat colorem leviter cinereum.

Caute servetur in lagenis bene clausis.

COFFEINO-NATRIUM SALICYLICUM.

R. Coffeini	50
Natrii salicylici	60
Aquæ	200

Calore solve et balneo aquæ evapora, donec productum in pulverem bene siccum dividi queat.

Pulvis amorphus, aut massa granulosa alba, sine odore, saporis subdulcis et amari, solubilis in 2 partibus aquæ frigidæ et in circiter 50 partibus alcoholis.

Solutio aquosa 1:10 ferro sesquichlorato violaceum sumit colorem. Acidis ab illa secernitur acidum salicylicum. Incineratione coffeino-natrium salicylicum relinquit residuum, quod flammam flavo tingit colore.

Solutio aquosa 1:5 incolor sit; post aliquod tempus ad summum leviter rosea fieri et debilis reactionis acidæ esse potest. 3 voluminibus aquæ aucta, nec acido sulfhydrico, nec baryo nitrico præcipitatur. Solutionis 1:20 miscela cum 3 voluminibus alcoholis, acido nitrico acidulata, argento nitrico non efficit præcipitatum.

1 c. c. acidi sulfurici super 0,10 gr. coffeino-natrii salicylici infuso, nec effervescentia nec coloratio apparere potest.

0,50 gr. coffeino-natrii salicylici 5 c. c. chloroformii bullientis pluries tracta, varias portiones collectas conjunge; evapora et residuum sicca: ad minus 0,20 gr. coffeini sicci recolligas oportet, quod habeat dotes in articulo *Coffeinum* indicatas.

Servetur in lagenis bene clausis.

COFFEINUM.

Massæ albæ, e longis aciculis sericeis et flexibilibus contextæ, sine odore, saporis leviter amari.

Coffeinum solvitur in 80 partibus aquæ frigidæ et in 2 partibus aquæ bullientis. Solvitur in alcohole et in chloroformio, parum in æthere. In aere expositum, amittit partem suæ aquæ crystallisationis; calore 100°, ex toto dehydratur. Liquescit calore circiter 230,5° et absque residuo sublimari potest.

Si balneo aquæ miscelam 1 partis coffeini et 10 partium aquæ chloratæ evapores, rubido-flavum obtines residuum, quod contactu ammonii hydrici fit purpureo-rubrum.

Solutio coffeini aquosa frigore saturata cum lacca musci neutra est; ope acidi tannici soluti, præcipitatum in excedente reagente solubile efficit.

Nec aqua chlorata, nec kalio iodato soluto cum iodo præcipitatur.

Coffeinum in acido sulfurico, necnon in acido nitrico sine coloratione solvitur.

Servetur in vasis bene clausis.

Si Coffeinum citricum ad usum internum præscribatur, miscelam partium æqualium coffeini et acidi citrici dispensa; quando hoc medicamen præscribitur ad injectionem hypodermicam, coffeino-natrium salicylicum dispensa.

COLÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Colæ seminis	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod 12 p. c. saltem residui sicci relinquat.

COLÆ SEMEN.

Semen *Sterculiæ acuminatæ* (Beauwe).

Semen oblongum, obtusum, subtetragonum, extus e rubro fuscum, intus rubescens vel ex albo flavescens.

Durissimum quando siccum est et plerumque mucoris aliquid redolens.

COLÆ TINCTURA.

R. Colæ seminis	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 2 p. c. residui sicci relinquat.

COLÆ VINUM.

R. Colæ extracti fluidi	50
Vini fortioris	950
	1000

COLCHICI EXTRACTUM.

R. Colchici seminis	Q. V.
Alcoholis 60°.	Q. S.

Vapora calore non supra 50° et fac extractum firmum.

Colchici extractum 10 p. c. humoris circiter continebit.

COLCHICI SEMEN.

Semen maturum *Colchici autumnalis* (L.).

Semen globosum, 2 ad 3 millim. crassum, durissimum, atrofuscum, inodorum, saporis amari et acris.

COLCHICI TINCTURA.

R. Colchici seminis	100
Alcoholis 70°	1000

Percolatione fac tincturam, quæ saltem 1 p. c. residui sicci relinquat.

COLOCYNTHIDIS EXTRACTUM SICCUM.

R. Colocynthidis fructus	Q. V.
Alcoholis 70°	Q. S.

Fac extractum siccum.

COLOCYNTHIDIS FRUCTUS.

Fructus epicarpio privatus *Cucumeris colocynthidis* (L.).
Ad usum, fructum seminibus privabis.

COLOCYNTHIDIS TINCTURA.

R.	Colocynthidis fructus	100
	Alcoholis 70°	1000

Fac tincturam quæ saltem 2 p. c. residui sicci relinquat.

COLONIENSIS AQUA.

R.	Bergamottæ essentiæ.	8
	Aurantiorum corticum essentiæ	10
	Citri essentiæ	5
	Aurantii citri florum essentiæ.	2
	Lavendulæ essentiæ	4
	Rorismarini essentiæ	1
	Benzoes tincturæ	5
	Alcoholis 80°	965
		1000

Misce, per aliquot dies ad subsidendum repone et filtra.

COLUMBO EXTRACTUM.

R.	Columbo radicis	Q. V.
	Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum siccum.

COLUMBO EXTRACTUM FLUIDUM.

R.	Columbo radicis	100
	Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, residui sicci 13 p. c. saltem relinquens.

COLUMBO INFUSUM.

R.	Columbo extracti fluidi	50
	Aquæ	950
		1000

Misce et filtra.

COLUMBO RADIX.

Radix *Cocculi palmati* (D. C.).
Rotulis constat 2 ad 5 centim. amplis, crassitudinis variæ.

COLUMBO TINCTURA.

R. Columbo radicis	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 2 p. c. residui sicci relinquat.

COMPRESSA.

Compressa pulverum medicinalium compressione parantur; adferuntur in forma massularum regularium, plerumque lenticularium, quarum pondus 1 gramma plerumque non excedit. Continere possunt substantias omni vi expertes, quarum ope facilius parantur, servantur vel sumuntur.

Inscribatur quantum medicaminis singulis compressis includitur in titulo vasorum quibus compressa servantur.

CONDURANGO CORTEX.

Cortex *Gonolobi condurango* (Triana).

Maceratio aquosa calore turbida fit, frigore denuo limpida.

CONDURANGO EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Condurango corticis	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod 12 p. c. saltem residui sicci relinquat.

CONDURANGO EXTRACTUM SICCUM.

R. Condurango corticis.	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum siccum.

CONDURANGO INFUSUM.

R. Condurango extracti fluidi	50
Aquæ	950
	1000

Misce et filtra.

CONDURANGO TINCTURA.

R. Condurango corticis	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 2 p. c. residui sicci relinquat.

COPAIVÆ BALSAMUM.

Oleo-resina diversarum specierum generis *Copaiferæ*.

Liquor limpidus, parum vel non fluorescens, flavus vel ex flavo subfuscus, odoris fragrantis et constantis, saporis acris et amari; solubilis in alcohole amylico, vel oleis, vel æthere, vel carboneo sulfurato liquida præbens leviter opalina. P. S. : 0,980 ad 0,990.

Ex aliquot balsami guttis, postquam balneo aquæ omne oleum volatile evanuerit, residuum exstet post refrigerationem durum et fragile.

Aciditatis index sit inter 75 et 85; index ætheris non ultra 14.

CORIANDRI FRUCTUS.

Fructus *Coriandri sativi* (L.).

Coriandri fructus pulvisque, prius calore 100° siccati, incineratione ne ultra 10 p. c. cineres relinquant.

COUSSO FLOS.

Flos femineus, pedunculo privatus, e fusco rubescens, *Hageniæ abyssinicæ* (Lamarck).

COUSSO INFUSUM.

R. Cousso pulveris n° 20	20 gr.
Aquæ fervidæ	150 gr.

Pulverem aqua fervida dilue et miscelam præstabis totam.

CRESOLUM CRUDUM.

Liquidum flavum aut fuscum, aqua densius, odoris empyreumatici, cum lacca musci neutrum, non ex toto solubile in aqua, facile solubile in alcohole et in æthere.

In tubum gradatum, 200 c. c. continere capacem, intromitte 10 c. c. cresoli crudi, 50 c. c. natrii hydrici soluti et 50 c. c. aquæ, vehementer agita; post longam quietem nonnisi pauci flocci substantiæ insolubilis secerni possunt. Adde tunc 30 c. c. acidi chlorhydrici et 10 gr. natrii chlorati, fortiter conquassa et sepone; cresolum coalescit ad superficiem liquidi in stratum oleaceum. 0,5 c. c. hujus substantiæ oleaceæ cum 300 c. c. aquæ agita; sic obtines solutionem quæ, additis 0,5 c. c. ferri sesquichlorati soluti, cæruleo-violaceum sumit colorem.

CRESOLUM SAPONATUM.

Saponis kalini.	500
Cresoli crudi	500
	1000

Balneo aquæ calefac usque dum obtineas liquidum homogeneum.

CROCI TINCTURA.

R. Croci	100
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ 4,5 p. c. saltem residui sicci relinquat.

Unius guttæ hujus tincturæ vaporatæ residuum acido sulfurico concentrato cœruleum prius, postea violaceum, denique fuscum evadit.

CROCUS.

Styli *Croci sativi* (L.) partes stigmatiferæ rubræ.

Fila sunt rubro-fusca, distincta, 1,5 ad 2 centim. longa, versus basim attenuata, apice dilatata, odoris aromatici, saporis peculiaris.

Croci 0,01 gr. in pulverem contrito, aquæ litrum unum aperte luteum evadit.

Calore 100° siccatus, ne ultra 14 p. c. sui ponderis crocus amittat; incineratione ne ultra 6,5 p. c. cinerum relinquat.

Vase clauso servetur et a luce remotus.

CROTONIS OLEUM.

E *Crotonis tiglii* (L.) seminibus excorticatis expressum oleum.

Liquor spissus, e flavo fuscus, odoris ingrati, saporis prius dulcis, dein acerrimi, duobus absoluti alcoholis fervidi voluminibus ex toto solubilis. P. S : 0,940 ad 0,960.

Chartam exploratoriam alcohole madefactam rubefacit.

Si 2 c c. olei crotonis cum 1 c. c. acidi nitrici fumantis et 1 c. c. aquæ vehementer concusseris, oleum fit molliter spissum sed intra 2 dies solidari nequit.

Misce 3 gr olei cum natrii hydrici pulveris 3 gr., et in capsula temperate calefac ad siccum; tum vehementius calefac, usquedum, postquam tumescendo spiritus et vapores emiserit, massa liquescat; tunc infunde 15 c. c. aquæ fervidæ et 10 c. c. acidi chlorhydrici concentrati; ferventem liquorem per chartam madefactam filtra; in colatura jam frigida ne subsidant crystalla.

Servetur procul a luce.

CUBEBÆ FRUCTUS.

Fructus nondum perfecte maturus *Piperis cubebæ* (L. f.).

CUMINI FRUCTUS.

Fructus *Cumini cymini* (L.).

Cumini fructus pulvisque, prius calore 100° siccati, incineratione ne ultra 12 p. c. cinerum relinquant.

CUPRUM SUBACETICUM.

Prostat in glebis plus minusve sphericis aut panibus duris, opacis, e cœruleo viridibus, saporis ingrate metallici, in aqua partim solubilibus.

Cuprum subaceticum in acido acetico et in acido sulfurico, quin fervescat, fere plane solvitur. Solvitur etiam ammonio hydrico soluto, nonnisi parum abundans relinquens residuum.

CUPRUM SULFURICUM.

Sulphas cupri.

Crystalla prismatica, cœrulea, pellucida, in aere sicco leviter fatiscentia, sine odore, saporis ingrate metallici, reactionis acidæ, solubilia in 3,5 partibus aquæ frigidæ, in 1 parte aquæ bullientis, nullatenus in alcohole.

Solutio aquosa, acido chlorhydrico acidulata, edit baryo nitrico præcipitatum album; excedente ammonio hydrico soluto aucta, colorem intense cœruleum induit.

Solutio aquosa 0,5:10, acido chlorhydrico acidulata et acido sulfhydrico supersaturata, edit præcipitatum nigrum; liquidum filtratum sit incolor, nec excedente ammonio hydrico soluto coloretur aut præcipitetur; ad siccitatem evaporatum non relinquat æstimabile residuum.

CURCUMÆ RHIZOMA.

Rhizoma *Curcumæ longæ* (L.).

CYDONIÆ SEMEN.

Semen *Cydoniæ vulgaris* (Pers).

Semina e rubro fusca, 4 ad 5 millim. longa, levigata lucidaque, sæpe mucilagine siccato glutinata et tum mutua pressura deformata.

DECOCTA ET INFUSA.

1° Medicamenta parandis decoctis et infusis adhibenda, eligantur bona et legibus pharmacopææ concordia;

2° Sint apte divisa ut facilius exhauriantur;

3° Vasa ea materia confecta adhibeantur, qua neque temperatio neque aspectus decoctorum et infusorum vere alterentur, neque præsertim toxicum quid ex ipsis solvi possit;

4° Nisi aliter notetur, decocta et infusa sic efficies :

Medicamentum apte divisum cum sufficienti aqua fervida in vas

clausum immitte, calore 98° ad 99° per horæ quadrantem servetur, sub plus minusve frequenti motione; post refrigerationem exprime;

5° Ubi neque a medico neque in Pharmacopæa medicaminis quantitas notatur, 100 partes sume ad conficiendas 1000 partes decocti vel infusi.

Medicamentorum fortiorum decocta vel infusa quod attinet : aconiti nempe, belladonnæ, colocynthidis, digitalis, ipecæ, jalappæ, strychni, stramonii, strophanthi, veratri albi, etc., dosis semper adamussim notetur a medico.

DIGITALIS EXTRACTUM.

R. Digitalis folii	Q. V.
Alcoholis 70°	Q. S.

Concentra calore non ultra 50° ad consistentiam extracti spissi.

Circa 10 p. c. humoris continet.

DIGITALIS FOLIUM.

Folium *Digitalis purpureæ* (L.), e planta bienni, incipiente anthesi lectum.

Para pulverem terendo folium totum absque residuo.

Folium et pulvis digitalis, prius calore 100° siccata, incineratione neultra 12 p. c. cinerum relinquant.

Ab humore et luce defendatur.

DIGITALIS INFUSUM.

R. Digitalis pulveris n° 40 . .	Præscriptam	dosin.
Aquæ in gradu caloris 70°.	»	»

Misce, repone in eodem gradu 70° per 30 minuta et filtra postquam friguit.

DIGITALIS SIRUPUS.

R. Digitalis tincturæ	50
Sirupi simplicis	950
	1000

DIGITALIS TINCTURA.

R. Digitalis folii	100
Alcoholis 70°.	1000

Percolatione fac tincturam, quæ saltem 2,5 p. c. residui sicci relinquat.

DIGITALIS VINUM COMPOSITUM.

R. Digitalis folii pulveris nº 40	5
Scillæ bulbi	7,5
Juniperi fructus	75
Alcoholis	100
Vini albi	900

Per tres dies macera et exprime.

In colatura solve :

Kalii acetici	50

Filtra.

Hujus vini 20 gr. æquivalent circiter 0,10 gr. digitalis et continent 1 gr. kalii acetici.

ELÆOSACCHARA.

R. Essentiæ præscriptæ.	2
Sacchari	98
	100

Optime contere.

Ex tempore para.

ELEMI.

Succus resinosus defecatus diversarum Burseraceearum et præsertim *Canarii communis* (L.).

Massa ex albo flava, mollis vel dura, odoris balsamici.

Elemi ex toto solvitur chloroformio et alcohole fervido, ex parte tantum alcohole frigido.

EMPLASTRA ET SPARADRAPA.

Emplastra, aut massæ emplasticæ, sint homogenea; leni calore mollescant; cuti adhæreant nec tamen liquescant.

Generatim ad paranda emplastra, balneo aquæ liquefacies corpora pinguia, ceras, resinas, etc., et quidem primo loco quæ difficilius et deinde quæ facilius liquescunt, et ultimo loco liquida infundes. Corpora sicca in pulverem tenuissimum divisa bene commisceantur massæ emplasticæ semifrigidæ, simul cum substantiis volatilibus. Massa dum frigescit probe commoveatur.

Emplastra induunt formam magdaleonis, vel laminæ, vel sparadrapi, etc.

Ad paranda sparadrapa, pelliculas, linteas fascias, telas inceratas, etc. illine emplastro ad crassitudinem æqualem, unum millimetrum, nisi aliter notetur, non prætergredientem.

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM.

R. Emplastri simplicis	800
Ceræ flavæ	50
Terebinthinæ resinæ	50
Elemi	50
Terebinthinæ venetæ	50
	1000

Hac massa, supra fascias linteas extensa, paratur SPARADRAP SIMPLEX.

EMPLASTRUM DIACHYLON GUMMOSUM.

R. Emplastri simplicis	720
Ceræ flavæ	70
Gummi ammoniaci pulveris	70
Galbani	70
Terebinthinæ venetæ	70
	1000

Emplastrum et ceram liquefac et commisce miscelam terebinthinæ, galbani et gummi ammoniaci, balneo aquæ liquefactam.

EMPLASTRUM FUSCUM.

R. Minii.	300
Olei officinalis.	600
Ceræ flavæ.	150

Minium cum oleo, flamma nuda calefac donec formetur emplastrum fuscum debitæ consistentiæ. Massæ adhuc calidæ adde ceram, misce et commove donec frigida sit.

EMPLASTRUM PICIS BURGUNDICÆ.

R. Picis burgundicæ.	700
Ceræ flavæ	250
Olei officinalis	25
	1000

Liquefac et misce.

EMPLASTRUM SIMPLEX.

Emplastrum lithargyri.

R. Lithargyri pulveris tenuissimi.	1000
Olei officinalis.	1000
Adipis suilli	1000
Aquæ	500

Substantias misce in olla grandiori. Igne leni constanter fervefac, sub continua motione, in locum aquæ avolatæ aquam calidam restituens. Sic pergas donec massa alba evadat et sub aquæ frigidæ vena digitis non jam adhæreat.

Tum, in ollam ab igne remotam funde 2 aut 3 aquæ calidæ volumina; commisce, sine ut massa leviter frigescat et aquam effunde. Ita denuo, si necesse sit, ut glycerinum auferatur. Massam denique subige ut quam plurimam aquam expellas.

Iterum balneo aquæ emplastrum diu calefac ut aqua plane avolet.

Massa ex albo flavescens, in 10 partibus essentiæ terebinthinæ ex toto solubilis.

EUCALYPTI FOLIUM.

Folium e cinereo viride, *Eucalypti globuli* (Lab.).

EUCALYPTI TINCTURA.

℞. Eucalypti folii	200
Alcoholis 80°	1000

Fac tincturam quæ saltem 4 p. c. residui sicci relinquat.

EUCALYPTOLUM.

Essentia eucalypti.

Liquor incolor, odoris peculiaris, aqua fere insolubilis, alcohole vero, æthere et chloroformio optime solubilis. Fervere incipit 176°-177°. P. S. : 0,928 ad 0,930.

Si vasis cujusdam parietes aliquot eucalyptoli guttis linieris et inibi vapores bromi admiseris, pulchræ orientur crystallorum rubrarum congeries.

In miscela frigorifica (ammonii nitrici cum aqua) positum, eucalyptolum gradu — 1° solidandum est ad aciculas longas et incolores.

Lumen polarisatum nullo modo afficit.

Cum æquo paraffini liquidi volumine, solutionem præbere debet limpidam.

Calore balnei aquæ, absque residuo sensibili avolat.

Ab aere et luce defendatur.

EUGENOLUM.

Essentiæ quam præbet *Eugenia caryophyllata* (Thunb) pars oxygenata.

Liquor incolor vel flavescens, in aere fuscescens, odoris fragrantis, saporis urentis, aqua parum, alcohole, æthere et acido acetico glaciali optime solubilis. Ebullit calore 251°-253°. P. S. : 1,072 ad 1,074.

Si miscueris 1 gr. eugenoli, 3 c. c. natrii hydrici soluti et 27 c. c aquae, solutio erit limpida, sed in aere turbida fieri poterit.

Si eugenoli 5 guttas cum calcii hydrici soluti 10 c. c. conquassaveris, praecipitatum floccosum apparebit.

Si eugenoli 5 guttas ope 5 c. c. alcoholis solveris et addideris 2 guttas solutionis ferri sesquichlorati 3 : 100, color orietur cœruleus, in viridem transiens, dein in flavescentem.

Si 1 gr. eugenoli cum 20 c. c. aquæ calidae concusseris, solutio jam frigida et filtrata chartam exploratoriam vix rubefaciet, et una gutta ferri sesquichlorati soluti addita, colorem ducet e cinereo viridem, non vero cœruleum.

EUPHORBIUM.

Gummi-resina constans e latice sponte spissato *Euphorbiæ resiniferæ* (Berg.).

Fragmentis adfertur inaequalibus, flavescentibus, friabilibus, cerei aspectus, fructibus et caulium frustulis plerumque intermixtis. Sapor prius fere nullus, deinde acer, urens et constans.

Calore odorem pandit lætum et aromaticum.

Alcohole prius, deinde æthere exhaustum, ne ultra 50 p. c. insolutum relinquat.

Incineratione ne ultra 12 p. c. cineres linquat.

EXTRACTA.

Nisi aliter notetur, extracta parantur et servantur juxta sequentes normas :

1° Medicamenta parandis extractis adhibenda eligantur bona et legibus pharmacopaeae concordia;

2° Apte dividantur ut facilius exhauriantur;

3° Vasa ea materia confecta adhibeantur qua neque temperatio neque aspectus extractorum afficiantur, neque praesertim toxicum quid ex vasis solvi possit. Ut plurimum porcellaneis, vitreis, fictilibus, ferreis smaltatis, cupreis stannatis uti poteris;

4° Modus parandorum extractorum alius erit si de extractis siccis, firmis vel mollibus, alius si de extractis fluidis res erit;

5° *De extractis siccis, firmis et mollibus.* — E medicamine primum, ope solventis praescripti, vires solubiles extrahe, sequenti modo : vase clauso, medicamentum apte divisum misce cum 4 ad 8 partibus solventis; per 24 horas sub frequenti motione, repone, dein cola et exprime.

Fecem iterum ad macerandum per 12 horas repone cum 2 ad 4 partibus solventis et denuo exprime.

Solutiones extractivas etiam eluendo parare licet.

Liquores extractivi, sive macerando, sive eluendo obtenti, ubi non limpidi, filtrentur et deinde concentrentur modo idoneo prout solvens erit aqua, alcohol vel æther.

a) Si de extracto aquoso agitur, liquores extractivos limpidos calefac donec ferveant, tum in balneo aquæ quam citissime vapora, vel in vacuo abdestilla, ad medicaminis sesquipondus. Liquorem sic coactum ad subsidendum repone, decantha et cola per chartam vel per telam; filtratum ut supra ad præscriptam consistentiam vapora.

b) Si de extractis alcoholicis res est, liquores extractivos limpidos destillando alcohole privabis, tum cito ad debitam consistentiam sive balneo aquæ sive in vacuo coges, quin inter cogendum filtres.

Inter vaporandum, si feces naturæ discordis subsederint, extractum denuo suo circiter solventis pondere solvatur, rursumque celeriter sub continua motione ad debitam consistentiam vaporetur.

c) Ad paranda extracta ætherea, liquores extractivos balneo aquæ abdestilla donec evanescat æther.

6° Extracta sicca sunt friabilia et in pulverem facile teruntur.

Extracta firma et mollia consistentiæ sunt lentæ plus minusve firmæ. Quorum summus humor pro quocumque notatur.

7° *Humoris computatio.* — In capsula ex imo plana, et prius appensa, 2 gr. extracti mollis appende; quibus, ope bacilli vitrei ibidem appensi 2 gr. arenæ lotæ et combustæ intime commisce. Hæc omnia in theca, ope aquæ ferventis calefacta, sicca calore 98°-100° donec pondus idem perstet. Pondus amissum, cum 50 multiplicatum, humoris numerus erit.

8° Si extractum molle præscribatur siccum vel sub forma pulveris, hujus extracti 1 partem cum sacchari lactis pulveris 1 parte misce et sicca calore non excedente 50°. Quod siccando evanuerit, sacchari lactis additione refice ut pondus habeas perfecte duplum ponderis extracti adhibiti.

Memento sacchari lactis additi et quantitatis præscriptæ duplum præsta.

9° Extractorum sive mollium sive siccorum solutiones condititiæ parantur solvendo extractum suo pondere solventis cujus ope fuit paratum; ad solvenda extracta aquosa, hac mixtura uti poteris :

Aquæ	6
Alcoholis	1
Glycerini	3

10° *Extracta fluida.* — Ad paranda extracta fluida, medicaminum vires solubiles eluendo extrahe.

Medicaminis apte divisi 100 partes cum 40 ad 70 partibus solventis præscripti uniformiter commisce et vase clauso ad 3 ad 4 horas repone. Pulverem sic madefactum cribra, in percolatorem idoneum mitte et rite comprime. Percolatoris orificio aperto, super pulverem funde solventis quantum satis est ut pulvis constanter operiatur. Cum jam inferne stillare incipit, claude orificium et exspecta per 48 horas. Tum orificium aperi et sine guttatim effluere, curam habens ut solventis quantum satis suo tempore infundas ut pulveri semper superemineat.

Priores 75 partes colaturæ seorsim repone; ulteriores itidem seorsim usquedum pulvis satis exhaustus appareat.

Has ulteriores colaturas balneo aquæ vel in vacuo ad 25 partes coge et in 75 prioribus solve. Misce, et postquam subsederit, filtra;

11° Extracta fluida contineant residui sicci vel principii medicati rationem cuivis suo loco præscriptam.

12° *Residui sicci extractorum fluidorum computatio.* — In capsula ex imo plana, appensa, 2 gr. arenæ lotæ et combustæ continenti, pensa 5 gr. extracti fluidi et perge ut supra, ita tamen ut balneo aquæ leni calore alcoholem prius expellas.

Residui pondus cum 20 multiplicabis ut rationem pro centum habeas.

13° Extracta serventur procul a luce; extracta sicca vasis siccatoriis; extracta firmia mollia et fluida vasis probe clausis.

FERRI CARBONICI PILULÆ.

R.	Ferri sulfurici.	100
	Natrii bicarbonici	62
	Acaciæ gummi	8
	Glycerini	3
	Sirupi simplicis	25

In capsulam mitte gummi pulverem, glycerinum et sirupum; balneo aquæ calefac donec gummi solvatur; adde ferrum sulfuricum et natrium bicarbonicum, in pulverem prius contrita, et perge calefacere sub continua motione, usquedum massa pilularia duram, potius quam mollem consistentiam inducat.

Divide in pilulas ponderis 0,25 gr., quas leni calore siccabis et argento induces.

FERRI IODATI PILULÆ.

R.	Ferri pulveris	2,00 gr.
	Aquæ	2,00 gr.
Misce. Adde paulatim,		
	Iodi	4,10 gr.

Finita reactione, adde :

Tragacanthæ gummi	0,40 gr.

deinde mixturam sequentem :

Amyli	5,00 gr.
Liquiritiæ pulveris n° 40	5,00 gr.
Sacchari lactis pulveris	2,00 gr.

Fac 100 pilulas, celeriter sicca et balsamo tolutano indue.

Singulæ pilulæ continent 0,05 gr. ferri iodati.

FERRI IODATI SIRUPUS.

Ferri iodidi sirupus. — Sirupus iodeti ferrosi. — Sirupus iodureti ferri.

R. Ferri iodati soluti	100
Acidi citrici	1
Citri spiritus	9
Sirupi simplicis	890
	1000

Sirupum in lagenis exiguis incoloribus, plenis, optime clausis, ad lucem serva.

Sirupus sit coloris expers vel leviter flavescens. *Ferri iodati 5 p. c.* continet, *in cochleari 1 gr.*

FERRI-KALII TARTARICI SIRUPUS.

Sirupus tartratis ferri et potassii.

R. Ferri-kalii tartarici	25
Cinnamomi aquæ.	25
Sirupi simplicis	950
	1000

Serva procul a luce.

FERRI-KALIUM TARTARICUM.

Tartras ferrico-potassicus.

R. Ferri sesquichlorati soluti	80
Aquæ	500

Misce ex altera parte.

Ammonii hydrici soluti	50
Aquæ	250

Ferrum sesquichloratum dilutum in miscelam ammonii hydrici soluti et aquæ infunde ; præcipitatum primo decanthando, deinde super

telam lava donec aqua lotionis argento nitrico non nisi leviter turbetur. Exstillare sine.

Ferrum hydricum oxydatum adhuc humidum misce cum :

Kalii tartarici acidi	28

Per 2 horas digere; filtra et vapora liquidum fuscum ad crassitudinem sirupi, luce remoto et curando ne calefiat ultra 50°. Dein extende super laminas vitreas et sicca temperatura inferiori.

Lamellæ e fusco rubræ, nitentes, sine odore, saporis subdulcis, dein atramentarii, solubiles in aqua, non vero in alcohole.

Solutio aquosa ferri-kalii tartarici 1 : 10, aucta aliquot guttis acidi chlorhydrici diluti, edit præcipitatum salis basici, in excedente reagente solubile.

Ferrum hydricum oxydatum natrio hydrico frigido non præcipitatur et miscela calefacta odorem ammoniæ ne emittat.

Acidum sulfhydricum edit præcipitatum nigrum in solutione aquosa, quæ colorem rubro-sanguineum cum ammonio thiocyanato non assumit nisi addito acido chlorhydrico.

Servetur a luce remotum.

FERRI POMATI EXTRACTUM

R. Malorum acidorum	1000
Ferri pulveris	20

Mala in pulpam redige et succum fortiter exprime; adde pulverem ferri et balneo aquæ calefac sub continua motione donec cesset hydrogenii emissio. Adde aquæ 1000 partes, repone ad aliquot dies, decantha et filtra. Colaturam ad consistentiam extracti firmi vapora.

Extractum contineat ferri saltem 5 p. c.

Ferri computatio. — In crucibulo porcellaneo crema 1 gr. extracti; cineres aliquot guttis acidi nitrici madefac, vapora et combure. Residuum ope 5 c. c. acidi chlorhydrici concentrati calidi solve, cum 20 c. c. aquæ dilue; postquam frigidum erit adde 2 gr. kalii iodati in vase clauso, temperatura ordinaria; post horam, iodum liberatum mensura ope natrii hyposulfurosi liquoris decinormalis. Adhibenda erunt saltem 9 c. c. liquoris natrii hyposulfurosi.

FERRI POMATI TINCTURA.

R. Ferri pomati extracti	100
Cinnamomi aquæ	900
	1000

Solve et filtra.

FERRI PULVIS.

Limatura ferri porphyrisata.

Pulvis tenuis, e nigrescente griseus, magneticus, leviter metallice splendens.

Solutio ferri in acido chlorhydrico, etiam valde diluta, edit præcipitatum cœruleum ope kalii ferricyanati.

1 gr. ferri pulveris miscela 15 c. c. aquæ et 15 c. c. acidi chlorhydrici tractatum, solvatur cum effervescentia perexiguum relinquens residuum. Hoc residuum, aliquot guttis acidi nitrici auctum, præbet solutionem quæ, diluta et filtrata, non præcipitetur acido sulfhydrico, nec, excedente ammonio hydrico soluto, cœruleum assumat colorem.

Supradicta solutio chlorhydrica non præcipitetur acido sulfhydrico. Aliam partem solutionis auge excedente acido nitrico; post ebullitionem, natrio hydrico supersatura et filtra; liquidum non præcipitetur, addito ammonio sulfurato.

1 gr. ferri pulveris, 20 c. c. aquæ et 10 c. c. acidi chlorhydrici in bulbulum tubo emissorio munitum immitte, et gazum per miscelam 5 c. c. aquæ bromatæ et aliquot guttarum baryi nitrici soluti perduc; hæc solutio barytica non nisi levissime turbetur post 5 minuta.

In tubum reactorium magnum intromitte 0,2 gr. ferri pulveris 0,2 gr. kalii chlorici et 1 c. c. aquæ; dein caute in tubum infunde 2 c. c. acidi chlorhydrici; reactione finita, calefac ad expellendum chlorum, filtra et 1 c. c. filtrati adde 3 c. c. stanni chlorati soluti, miscela non obfuscetur etiam post horam.

Solve 1 gr. ferri pulveris in 75 c. c. acidi sulfurici diluti, adde aquam ad 100 c. c. obtinenda. In excipulum, quod claudi potest, introduc 10 c. c. liquidi filtrati, quibus guttatim adde solutionem kalii permanganici 5:1000 donec obtineatur coloratio leviter rosea permanens; postquam aliquot guttis alcoholis dempseris colorem, introduc 2 gr. kalii iodati; claude, et per horam sepone temperatura ordinaria. Tunc, ope liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi, quantitatem iodi liberati computa.

Indiges ad minus 17 c. c. hujus liquoris, quod respondet 95 p. c. ferri ad minus.

FERRUM CARBONICUM SACCHARATUM.

Carbonas ferri saccharatus.

R. Ferri sulfurici	5
Aquæ bullientis	20

Solve ferrum sulfuricum in aqua bulliente; filtra si opus sit.

Misce ex altera parte :

Natrii bicarbonici	3,5
Aquæ tepidæ	50

Solve et filtra.

Solutionem natrii bicarbonici intromitte in vas permagnum, in quod etiam infunde, constanter agitando, solutionem ferri sulfurici; vas dein aqua bulliente imple, imperfecte claude et sine seponat ; decanthatione cum aqua bulliente lava usquedum lotionis aqua nonnisi leviter turbetur baryo nitrico.

Quam optime præcipitatum a superstante aqua secerne, illudque in capsulam porcellaneam ponderatam immitte et tritura cum miscela :

Sacchari lactis	1
Sacchari	2

Ad siccitatem balneo aquæ evapora et adde tantum sacchari ut substantia contineat 9,5 ad 10 p. c. ferri.

Pulvis e griseo viridis, odoris expers, saporis prius dulcis, dein leviter ferruginosi.

Ferrum carbonicum saccharatum in acido chlorhydrico diluto ex integro solvitur calore, effervescit præbetque solutionem e viridi flavam. Hæc solutio chlorhydrica 1:50 baryo nitrico turbari, non autem præcipitari potest; kalio ferrocyanato et kalio ferricyanato edit præcipitatum cœruleum.

1 gr. ferri carbonici saccharati solve leviter calefaciendo in 20 c. c. acidi sulfurici diluti ; post refrigerationem, guttatim et conquassando, adde solutionem kalii permanganici 5:1000 usquedum appareat coloratio rubra permanens. Postquam aliquot guttis alcoholis dempseris colorem, immitte in liquidum 2 gr. kalii iodati; sepone per horam temperatura ordinaria, dein quantitatem iodi liberati ope liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi determina; adhibenda sunt pro substantia normali 17 ad 17,8 c. c. hujus liquoris gradati.

Servetur lagenis bene clausis.

FERRUM CITRICUM.

Citras ferri.

R.-Ferri sesquichlorati soluti	20
Aquæ	100

Hanc solutionem infunde in miscelam :

Ammonii hydrici soluti.	15
Aquæ	85

Præcipitatum lava, usquedum aqua lotionis nonnisi leviter turbetur argento nitrico. Exstillari sine.

Tunc præcipitatum dilue in solutione calida :

Acidi citrici	7
Aquæ	14

Miscela teneatur temperatura 50°-60° donec ferrum hydricum fere integre solvatur, filtra et adde ammonium hydricum solutum usque ad reactionem alcalinam. Liquidum dein balneo aquæ evapora usque ad mellis consistentiam, et substantiam ope penicilli in laminas vitreas extensam exsicca luce remotam et temperatura non ultra 50°.

Lamellæ e fusco rubræ, nitentes, humorem attrahentes, tenues, pellucidæ, absque odore, saporis primum subdulcis et salsi, dein atramentarii.

Ferrum citricum solvitur in aqua, non in alcohole aut in æthere.

Solutio aquosa 1 : 10, excedente natrio hydrico aucta, edit præcipitatum ferri hydrici oxydatum; liquidum filtratum, acido acetico acidulatum, non præcipitatur; hæc solutio acetica, calcio chlorato aucta et ad ebullitionem evecta, præcipitatum calcii citrici efficit.

Solutio aquosa 1 : 20 nonnisi leviter turbetur argento nitrico 1 : 20.

Solutio aquosa 1 : 100 laccam musci rubefacit ; kalio ferricyanato non cœrulescit. Kalio ferrocyanato leviter viridescere potest, sed non edat præcipitatum cœruleum, nisi addito acido chlorhydrico.

Incineratione, ferrum citricum linquit saltem 25 p. c. ferri sesquioxydati. Ad hanc computationem, procede ut dictum est articulo : *Ferrum lacticum.*

Servetur in lagenis bene clausis, a luce remotum.

FERRUM IODATUM SOLUTUM.

Ioduretum ferri.

R. Ferri pulveris	12
Aquæ	50
Iodi	41

Ferrum et aquam intromitte in bulbum et adde iodum per partes successivas, conquassando, et, si opus est, refrigerando. Quando liquidum leviter viridem induit colorem, filtra et filtrum lava ope parvæ quantitatis aquæ, donec habeas 100 partes.

Hæc solutio continet circiter 50 partes ferri iodati anhydri.

In momento usus paranda.

Quando ferri iodati præscribuntur pilulæ, quantitatem intentam solutionis evapora, sive in capsula ferrea, bene deoxydata, sive in capsula porcellanea, in quam prævie intromiseris quædam fragmenta fili ferrei.

FERRUM LACTICUM.

Lactas ferri.

Massæ duræ, constantes crystallulis acicularibus, aut pulvis crystallinus, albus, leviter virescens, specialem spargens odorem, saporis dulcis et ferruginosi.

Ferrum lacticum lente solvitur in circiter 40 partibus aquæ frigidæ, in 12 partibus aquæ bullientis. Vix solvi potest in alcohole. Sub influxu caloris, carbonescit spargens vapores odorantes.

Solve absque aere, et agitando frequenter, 1 partem ferri lactici in 50 partibus aquæ. Solutio, quæ virescat oportet, reactionis acidæ est; cum kalio ferricyanato cœruleum efficit præcipitatum; plumbo acetico non vere turbatur; acido chlorhydrico prius acidulata, dein acido sulfhydrico tractata, ad summum leviter turbetur; addito acido nitrico, nec baryo nitrico, nec argento nitrico præcipitatur.

Ferrum lacticum, cum acido sulfurico concentrato trituratum, non obfuscatur; miscela nullum gazum spargat.

Ferri lactici 2 gr. incinera, cineres aliquot guttis acidi nitrici humecta, sicca et calcina; obtines ad minus 0,54 gr., seu 27 p. c., ferri sesquioxydati, quod nullatenus solvitur in aqua et chartam exploratoriam humidam non mutat.

Servetur in lagenis bene clausis, a luce defensum.

FERRUM OXYCHLORATUM SOLUTUM.

℞. Ferri sesquichlorati soluti	35
Aquæ	160

Solutionem constanter agitando infunde in miscelam :

Ammonii hydrici soluti	21
Aquæ	334

Præcipitatum ferri hydrici oxydati recollige, lava, exprime et adde :

Acidi chlorhydrici	2

Per 3 dies, interdum agitando, in contactu sine, dein calefac ad 40° ut ferrum hydricum oxydatum ex toto solvatur. Solutioni adde quantum satis aquæ ut liquidum sit ponderis specifici 1,050.

Liquidum e rubescente fuscum, sine odore, saporis leviter adstringentis, continens circiter 3,5 p. c. ferri.

Si miscelæ 1 c. c. ferri oxychlorati soluti et 19 c. c. aquæ addantur 1 gutta acidi nitrici et 1 gutta argenti nitrici soluti, liquidum agitatum maneat pellucidum.

Servetur a luce remotum.

FERRUM REDUCTUM.

Ferrum hydrogenio reductum.

Pulvis griseus, magneticus, continens ad minus 80 p. c. ferri metallici, qui, in aere ad rubedinem calefactus, edit ferrum oxydatum et oxydulatum.

Ferrum reductum fere ex toto solvitur in acido chlorhydrico diluto.

10 c. c. aquæ, cum 2 gr. ferri reducti agitata, laccam musci mutare, et filtrata et evaporata, æstimabile residuum relinquere nequeunt.

Ferrum reductum triturando fac homogenium, absume 1 gr. quod intromittas in bulbum cum 5 gr. hydrargyri bichlorati et 50 c. c. aquæ; per 20 minuta balneo aquæ agitando calefac. Refrigeratione facta, addendo aquam auge miscelam ad 100 c. c., filtra, absume 10 c. c. liquidi, quæ introducas in vas vitreum lato ore, epistomio vitreo clauso. Adde 20 c. c. acidi sulfurici diluti, dein guttatim de solutione kalii permanganici 5 : 1000, donec nascatur permanens coloratio rubra. Colorem deme ope aliquot guttarum alcoholis, adde 2 gr. kalii iodati, et vase clauso sepone per horam temperatura ordinaria. Iodum liberatum ope natrii hyposulfurosi liquoris decinormalis titula.

Indiges ad minus 14,3 c. c. hujus liquoris gradati.

Ferrum reductum exhibeat reliquas puritatis dotes, in articulo *Ferri pulvis* expositas.

Servetur in lagenis probe clausis.

FERRUM SESQUICHLORATUM SOLUTUM.

Chloruretum ferricum liquidum.

R. Ferri metallici	1000
Acidi chlorhydrici	3300
Aquæ	1650

Effice reactionem in bulbo; quando jam lentius gazum emittitur, balneo aquæ calefac, dein filtra. Liquidum ita obtentum distribue in plures lagenas Woulfianas, chlorum totum perduc, donec liquidum ultimæ lagenæ non jam cœrulescat kalio ferricyanato; liquorem evapora balneo aquæ in capsula porcellanea ponderata donec reducatur ad quintuplum quantitatis ferri soluti; capsulam caute tege et crystallos loco frigido efformari sine. Crystallos obtentas super acidum sulfuricum aut super calcium oxydatum sicca, dein suo pondere aquæ dissolve.

Liquidum limpidum, e flavo fuscum, continens 29 p. c. ferri sesquichlorati. P. S. : 1,28 ad 1;29.

10 partibus aquæ dilutum, ferrum sesquichloratum solutum edit

argento nitrico præcipitatum album, caseosum, quod non solvitur in acido nitrico, et kalio ferrocyanato præcipitatum cœruleum.

Auctum acido chlorhydrico et kalio ferricyanato, hoc liquidum, item dilutum, non cœrulescat.

Ferrum sesquichloratum solutum ebullitione non turbetur.

Si lente usque ad ebullutionem calefacias miscelam 10 c. c. liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi cum 3 guttis ferri sesquichlorati soluti, liquidum refrigeratione quosdam floccos ferri hydrici oxydati relinquat.

Fasceola chartæ, cadmio iodato soluto cum amylo imbuta, quam supra ferrum sesquichloratum solutum suspendas, non cœrulescat.

Miscela 1 c. c. ferri sesquichlorati soluti et 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur etiam hora elapsa.

5 partibus aquæ ferrum sesquichloratum solutum dilue et excedente ammonio hydrico soluto præcipita; liquidum filtratum sit decolor; divide illud in 4 partes. Quarum prima acido sulfhydrico tractata nullatenus præcipitetur. Secunda ad siccitatem evaporata et calcinata non relinquat æstimabile residuum. Tertia, ebullitione privata ammonio hydrico, dein aucta æquali volumine acidi sulfurici, refrigerata et prudenter in contactu solutionis concentratæ ferri sulfurici posita, non habeat colorationem fuscam in limite duorum liquorum. Quarta, acido acetico supersaturata non turbetur baryo nitrico.

Servetur a luce remotum.

FERRUM SULFURICUM.

Sulphas ferri.

R. Acidi sulfurici	3
Aquæ	12
Ferri metallici	3

Aquam et acidum infunde in bulbum, adde ferrum et sine reagere. Quando jam lentius gazum emittitur, balneo aquæ calefac, dein filtra solutionem dum calida est et recipe liquidum in vas prævie madefactum parva quantitate acidi sulfurici et continens :

Alcoholis	6

Durante crystallisatione constanter conquassa, recollige sedimentum crystallinum super filtrum, exstilla, extende substantiam super folia chartæ filtratoriæ et celeriter sicca temperatura infra 30°.

Pulvis crystallinus, ex albo virescens, leviter efflorescens, qui debilissimum odorem alcoholis spargat licet, in aqua solubilis et oxydabilis in aere.

Solutio aquosa, etiam valde diluta, acido chlorhydrico acidulata,

efficit præcipitatum cœruleum kalio ferricyanato et præcipitatum album baryo nitrico.

Solve 1 gr. ferri sulfurici in 20 c. c. aquæ prævie bullitæ et refrigeratæ; liquidum vix turbetur; laccam musci leviter rubefacit.

Solve 2 gr. ferri sulfurici in 20 c. c. aquæ, calefac ad ebullitionem, addito excedente acido nitrico, præcipita excedente ammonio hydrico soluto et filtra. Partem liquidi decoloris tracta acido sulfhydrico, non edatur præcipitatum; altera parte ad siccitatem evaporata, relinquitur massa alba, quæ calcinata nonnisi parvulum relinquat residuum.

Servetur in lagenis bene clausis.

FILICIS EXTRACTUM.

R. Filicis rhizomatis	Q. V.
Ætheris	Q. S.

Extrahe, destilla, curans ne in fine ultra 50° cafefacias.

Massa mollis, viridi-fuscescens, in æthere ex toto, in aqua nullo modo solubilis.

Filicis extractum ne ultra 0,5 p. c. cineris relinquat.

Misce antequam pharmacum præbeas.

FILICIS RHIZOMA.

Rhizoma et carnosa frondium basis, squamis et radiculis secundariis demptis, *Aspidii filicis-maris* (Schwartz).

Rhizoma exterius atro-fuscum est. Sectione transversa ad basim frondis facta, distincte apparent, super aream flavo-viridentem, 8 saltem fasciculi libero-lignosi in coronam dispositi.

Calore circa 40° siccetur; nec ultra annum servetur; pulvis ejus his datis, sit viridis, odoris fatui, saporis acris.

FOENICULI AQUA.

R. Fœniculi spiritus	30
Aquæ	970
	1000

Misce ex tempore.

FOENICULI ESSENTIA.

Essentia e fructu fœniculi ope vaporis aquæ destillata.

Liquor incolor vel flavescens, odoris et saporis peculiarium, in æquo alcoholis volumine ex toto solubilis. P. S. : 0,965 ad 0,975.

Circa 0° secernit crystalla anetholi, quæ circa + 5° denuo solvuntur.

FOENICULI FRUCTUS.

Fructus *Fœniculi vulgaris* (Gærtn.).

Fructus pulvisque fœniculi, prius 100° siccati, ne cineres relinquant ultra 12 p. c.

FOENICULI SPIRITUS.

℞. Fœniculi essentiæ	10
Alcoholis 80°	990
	1000

FOENI GRÆCI SEMEN.

Semen *Trigonellæ fœni græci* (L.).

FOENI GRÆCI UNGUENTUM COMPOSITUM.

℞. Fœni græci seminis triti	25
Curcumæ rhizomatis triti	25
Terebinthinæ resinæ.	90
Ceræ flavæ	180
Olei officinalis.	730

Substantias misce, balneo aquæ per horam calefac, dein per telam calefactam cola. Unguentum leniter move, donec omnino frigidum sit.

FORMALDEHYDUM.

Solutio aquosa formaldehydi ad circiter 30 p. c.

Liquidum limpidum, incolor, odoris irritantis, neutrum, aut debilissime acidum, aquæ et alcoholi omni relatione miscibile. P.S.: 1,086 ad 1,088.

Si particulam morphini chlorhydrici addas 1 c. c. acidi sulfurici, ac dein ope bacilli vitrei, formaldehydo humectati, liquidum tangas, agitatione apparet coloratio violaceo-cœrulea.

Balneo aquæ, in capsula platinea, evapora 5 c. c. formaldehydi; pars formaldehydi cum aqua avolat, dum altera pars polymerisatur; capsula, quando retrahitur, contineat massam albam, in aqua insolubilem, quæ sine æstimabili residuo flagrat.

Excedente ammonio hydrico soluto auctum, folmaldehydum calefit quin cœrulescat; hæc solutio ammoniacalis evaporatione relinquit residuum album, crystallinum, valde solubile in aqua.

Formaldehydum reactivum Nesslerianum instantanee reducit et producit paulatim speculum argenti cum solutione ammoniacali argenti nitrici.

10 c. c. formaldehydi soluti adde 30 c. c. aquæ et agita; 10 c. c.

hujus miscelæ nec argento nitrico, nec baryo nitrico, nec acido sulfhydrico præcipitantur.

Miscela 1 c. c. formaldehydi et 1 guttæ liquoris normalis natrii hydrici laccam musci non rubefaciat:

In lagenam epistomio vitreo clausam et 75 ad 100 c. c. continere capacem intromitte 5 c. c. formaldehydi et 30 c. c. ammonii hydrici liquoris bis normalis (0,034 gr. gazi ammoniacalis pro c. c. continentis). Claude lagenam, agita et relinque in contactu per 12 horas. Dein auge liquidum 35 c. c. acidi chlorhydrici liquoris normalis dein titula excedens acidum ope liquoris normalis natrii hydrici, adhibens acidum rosolicum ut medium indicatorium. Indiges 6,7 ad 8,4 c. c. hujus liquoris alcalini gradati ut roseum fiat liquidum (68 partes ammoniæ mutant 180 partes formaldehydi in hexamethylenum tetraminum).

Servetur a luce remotum in vasis bene clausis.

FORMALDEHYDUM POLYMERISATUM.

Pulvis albus, crystallinus, in aere spargens, præsertim si calefiat, odorem pungentem, in alcohole et in æthere insolubilis, solubilis in aqua calida dum decomponitur in aldehydum formicum. Liquescit circa 171° et evolat quin relinquat sensibile residuum.

Aliquot particulæ miscelæ partium æqualium formaldehydi polymerisati et morphini hydrochlorici cicum 10 guttis acidi sulfurici tractatæ, illis inducunt colorem rubro-violaceum, qui transit in cœruleum.

Tabellæ formaldehydi polymerisati præparantur simplici compressione pulveris, quin alia materia addatur.

Servetur vase clauso, a luce remotum.

FRANGULÆ CORTEX.

Cortex *Rhamni frangulæ* (L.).

Circa 1 millim. crassus, extus obscurissime fuscus, lenticulis pallidioribus conspersus; inodorus, subamarus. Cujus liber e flavo-fuscus, alcaliis dilutis cerasorum ruborem ducit.

GALBANUM.

Succus gummo-resinosus, sponte spissatus diversarum ombelliferarum generis *Ferulæ* et speciatim *Ferulæ galbaniflua* (Boissier et Bühse) et *Ferulæ rubricaulis* (H. Boissier).

Lacrymis constat glutinatis vel distinctis, quarum color nutat inter albo-flavum et fusco-viridescentem, nitoris resinini, odoris gravis, ingrati, saporis calidi et amari.

Acidum chlorhydricum cum galbano tractatum colorem ducit rubro-violaceum; si galbanum cum alcohole 70° conquassatur, additis aliquot guttis ammonii hydrici soluti, solutio cœrulee fluorescit.

Incineratione cineres non ultra 8 p. c. relinquat.

GELATINA.

Folia dura, tenuia, coloris fere expertia, pellucida.

Gelatina in aqua frigida tumescit et calore edit solutionem quæ refrigeratione capitur mucilagine.

Tanninum præcipitat gelatinam e suis solutionibus.

Non ultra 2 p. c. cineres relinquat.

GENTIANÆ EXTRACTUM.

R. Gentianæ radicis	Q. V.
Aquæ	Q. S.

Fac extractum molle, quod, calore 100° siccatum, ultra 25 p. c. ponderis sui non amittat.

GENTIANÆ RADIX.

Radix *Gentianæ luteæ* (L.).

Radix pulvisque gentianæ, prius calore 100° siccata, ne ultra 7 p. c. cineres relinquant.

GENTIANÆ SIRUPUS.

R. Gentianæ extracti	10
Sirupi simplicis	990
	1000

GENTIANÆ TINCTURA.

R. Gentianæ radicis	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 6 p. c. residui sicci relinquat.

GLYCERINUM.

Liquidum limpidum, siruposum, coloris et odoris expers, attrahens humididatem aeris, saporis dulcis nec dein ingrati, aquæ et alcoholi quacunque quantitate miscibile, non vero solubile in æthere, neque in chloroformio, neque in oleis. P. S. : 1,24.

Cum 5 partibus kalii sulfurici acidi calefactum, emittit vapores acroleini.

5 c. c. glycerini calefac in capsula platinea aut porcellanea et inflamma; liquidum comburatur, minimum relinquens residuum coloris obscuri, quod, ad rubedinem calefactum, ex toto disparet.

Æquali volumine aquæ dilutum, glycerinum tincturam laccæ musci non mutat.

Solutio aquosa glycerini 1:5 nec coloretur nec præcipitetur acido sulfhydrico; non turbatur baryo nitrico, nec calcio chlorato, nec ammonio oxalico, opalescere potest argento nitrico.

5 c. c. glycerini adde 5 c. c. ammonii hydrici soluti et 5 guttas argenti nitrici soluti; liquidum non obfuscetur etiam post horæ quadrantem.

Ad ebullitionem calefactum cum natrio hydrico soluto, glycerinum nec obfuscetur nec ammoniam emittat.

Acido sulfurico diluto auctum, calore non spargit odorem acidorum pinguium volatilium.

Miscela 1 c. c. glycerini cum 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur etiam post horam.

Si 1 c. c. cupri sulfurici soluti 1:20 addas 5 c. c. glycerini et 5 c. c. natrii hydrici soluti, miscela limpida assumit colorem obscure cæruleum et calefacta non præbet cuprum oxydulatum rubrum.

Servetur in vasis bene clausis.

GLYCERITUM AMYLI.

R. Amyli triticei	10
Aquæ	15
Glycerini.	90

Misce et balneo aquæ calefac, donec formetur mucilago spissa et pellucida.

GNAPHALII FLOS.

Capitulus *Antennariæ dioicæ* (L.).

Flores sunt albi vel purpurei.

GOSSYPIUM CUM ACIDO BORICO.

Paretur gossypium cum acido borico eodem titulo ac modo quo *Tela cum acido borico.*

GOSSYPIUM CUM ACIDO CARBOLICO.

Paretur gossypium cum acido carbolico eodem titulo ac modo quo *Tela cum acido carbolico.*

GOSSYPIUM CUM ACIDO SALICYLICO.

Paretur gossypium cum acido salicylico eodem titulo ac modo quo *Tela cum acido salicylico.*

GOSSYPIUM CUM HYDRARGYRO BICHLORATO.

Paretur gossypium cum hydrargyro bichlorato eodem titulo ac modo quo *Tela cum hydrargyro bichlorato.*

GOSSYPIUM CUM IODOFORMIO.

Paretur gossypium cum iodoformio eodem titulo ac modo quo *Tela cum iodoformio.*

GOSSYPIUM DEPURATUM.

Pila seminum plurium *Gossypiorum,* elutriata, candefacta et bene carminata. Notis microscopicis peculiaribus gaudent; sunt unicellularia, complanata, leviter contorta. Zinco chlorato cum iodo cœrulea efficiuntur

Gossypium depuratum aqua statim madefit et in aquæ imum vergit.

Aqua madefactum, chartam exploratoriam ne afficiat.

10 partes aquæ cum 1 parte gossypii coque; liquidum neque argento nitrico, neque baryo nitrico præcipitetur; ammonio oxalico vix opalinum efficiatur.

Hujus liquidi 10 gr. misce cum acidi sulfurici guttis aliquot et kalii permanganici soluti 3 guttis; color ruber ne statim evanescat.

Gossypii 10 gr. cineres ultra 0,03 gr. ne relinquant.

Gossypium depuratum fasciculis probe clausis servetur, pulveri minime obnoxiis.

GRAMINIS EXTRACTUM.

R. Graminis rhizomatis	Q. V.
Aquæ	Q. S.

Fac extractum molle, quod, calore 100° siccatum, ultra 25 p. c. ponderis sui non amittat.

GRAMINIS RHIZOMA.

Rhizoma fistulosum, radiculis mundatum, *Tritici repentis* (L.).

GRANATI CORTEX.

Cortex radicis et caulis *Punicæ granati* (L.).

1 ad 2 millim. crassus, rugosus, coloris inter cinereum et subfuscum nutantis, intus flavescens, fracturæ pulchræ, odoris debilis, ingrati, et saporis adstringentis et subamari.

Caulis cortex ut plurimum adfertur laminis lichene subatro indutis.

GRANATI DECOCTUM.

R. Granati corticis pulveris n° 10.	250
Aquæ	Q. S. (circa 1500)

Macera per 6 horas, fervefac per semi-horam, ut colaturæ consequaris 1000 partes.

GRANULÆ.

1° Nisi aliter notetur, granulæ parantur ponderis 0,05 gr., normas sequendo referendas verbo *Pilulæ*.

2° Uti pulvis iners ut plurimum eligitur miscela ex 4 partibus sacchari lactis et 1 parte pulveris acaciæ gummi, ut excipiens vero miscela ex 9 partibus sirupi simplicis et 1 parte glycerini constans.

3° Commixtionem medicaminis activi cum pulvere inerti accuratissime facies, ut massa ex omni parte sit homogenea.

4° Quando granulæ ex alcaloideis faciendæ sunt, alcaloideum ipsiusve sal alcohole solvendum est, et isti solutioni alcoholicæ debitum saccharum lactis addendum. Miscela leni calore sicca, dein secundum artem pergendum est, addendo nempe gummi et miscelam sirupi et glycerini.

5° Granulæ continentes 1 milligr. principii activi sint albæ et saccharo indutæ. Ceteræ argento inducantur.

6° Vasis quibus granulæ servantur inscribatur quantum principii activi in singulis granulis continetur.

GUAJACOLUM.

Crystalli decolores, odorem creosoti redolentes et saporem acrem habentes, solubiles in alcohole, in æthere, in acido acetico, in chloroformio, in carboneo sulfurato et in oleis, solubiles etiam in circiter 60 partibus aquæ et in 7 partibus glycerini. Liquescunt ad 28°5, et jam liquefacta ita manere possunt etiam infra 10°. Guajacolum liquefactum densitatis est 1,143 calore 15°; ebullit ad 205° et avolat quin relinquat residuum.

Solve 0,50 gr. guajacoli in 10 c. c. alcoholis et adde 1 guttam solutionis valde dilutæ ferri sesquichlorati; apparet coloratio cœrulea fugax, quæ transit in viridem, dein in fuscam.

Miscela quam obtines agitando 1 volumen guajacoli cum 2 voluminibus petroleini celeriter dividatur in 2 strata limpida.

Servetur a luce remotum.

GUAJACOLUM CARBONICUM.

Pulvis crystallinus, albus, odoris et saporis fere nullius, insolubilis in aqua, vix solubilis in glycerino et in alcohole frigido, facile solubilis in alcohole calido, in æthere, in chloroformio et in benzolo.

Natrio hydrico in solutione alcoholica decomponitur guajacolum carbonicum in acidum carbonicum et in guajacolum.

Solutio alcoholica non specialem assumit colorem cum ferro sesquichlorato.

GUTTA PERCHA.

Plurium plantarum, imprimis *Sapotacearum*, latex siccatus.

Massa fusca, ad consuetam temperaturam satis dura, calore modico plastica evadens, chloroformio calido fere ex integro solubilis.

Ad usum venit præcipue sub forma laminarum tenuissimarum, e flavo-fuscescentium, pellucidarum.

GUTTÆ GUMMI.

Gummi-resina *Garciniæ morellæ* (Des Rousseaux).

Frustulis constat friabilibus, vix translucidis, aurantio-rubentibus, fracturæ conchoïdeæ nitentis, saporis amari, ingrati.

Gummi guttæ, cum aqua tritum, emulsionem præbet permanentem, flavam. Æthere prius, dein aqua exhaustum, residuum sensibile relinquere nequit.

GUTTÆ PERCHÆ SOLUTIO.

Traumaticina.

R. Guttæ perchæ	100
Chloroformii	900
	1000

Solve; ad subsidendum repone et decantha.

HAMAMELIDIS EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Hamamelidis folii	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod saltem 20 p. c. residui sicci relinquat.

HAMAMELIDIS FOLIUM.

Folium *Hamamelidis virginicæ* (L.).

HELLEBORI RHIZOMA.

Rhizoma, cum suis radiculis, *Hellebori nigri* (L.).

HIRUDO.

Hirudo cinerea (*Hirudo medicinalis*) et hirudo viridis (*Hirudo officinalis*).

Extremum cephalicum est attenuatum, ore cavo munitum, in cujus imo tres maxillæ subtiliter denticulatæ reperiuntur.

Hirudo cinerea dorsum habet per longitudinem sex tæniis rufis ornatum, ventrem maculatum, interdum fere ex toto nigrum.

Hirudo viridis quatuor tantum in dorso rubris vel fuscis tæniis adornatur, ventremque habet e viridi olivaceum, absque maculis.

Hirudo sit contractionis capax, agilis, et leni attactu in globulum seu olivam se contrahat.

HOMATROPINUM HYDROBROMICUM.

Pulvis crystallinus, albus, odoris expers, valde solubilis in aqua, absque residuo flagrans.

Solutio aquosa 1:20 cum lacca musci neutra est; solutione diluta natrii hydrici edit præcipitatum album, valde solubile in excedente reactivo; solutio ætherea, ex agitatione hujus liquoris alcalini cum æthere proveniens, ad siccitatem evaporata, relinquit residuum quod, aliquot guttis acidi nitrici fumantis auctum et balneo aquæ ad siccitatem calefactum, excedente solutione natrii hydrici in alcohole absoluto gignit colorationem rubram fugacem, cito in flavam transeuntem.

Solutio aquosa 1:20 efficit hydrargyro bichlorato præcipitatum album; argento nitrico edit præcipitatum subflavidum in acido nitrico insolubile; acido chlorhydrico acidulata, nec acido tannico, nec platino chlorato præcipitatur.

Servetur in vasis bene clausis.

HYDRARGYRI BIIODATI SIRUPUS CUM KALIO IODATO.

R.	Hydrargyri biiodati	0,50
	Kalii iodati	50,00
	Aquæ	49,50
	Sirupi simplicis	900,00
		1000,00

Hydrargyrum iodatum et kalium iodatum aqua solve; adde sirupum simplicem.

Singula cochlearia hujus sirupi continent 0,01 gr. hydrargyri biiodati et 1 gr. kalii iodati.

HYDRARGYRI EMPLASTRUM.

R. Hydrargyri	200
Lanolini	100
Ceræ flavæ	100
Emplastri simplicis	600
	1000

Hydrargyrum cum lanolino contere donec omnis globulus metallice splendens evanescat. Ceram cum emplastro simplice liquefac, eisque massam priorem commisce.

Massa cinerescens, homogenea, in qua nullum, absque lentis ope, videre est hydrargyri globulum.

HYDRARGYRI NITRICI UNGUENTUM.

R. Hydrargyri	50
Acidi nitrici	70
Adipis suilli	450
Olivarum olei	430

Hydrargyrum acido nitrico frigido solve; adipi suillo liquefacto adde olivarum oleum; cum miscela unguinosa non jam ultra 40° calida erit, adde hydrargyricam solutionem; misce et massam homogeneam solidari incipientem in formas idoneas funde.

Unguentum sit luteum.

HYDRARGYRI OXYDATI FLAVI UNGUENTUM.

R. Hydrargyri oxydati flavi.	20
Vaselini.	980
	1000

Hydrargyrum oxydatum cum pauco vaselino perfectissime contere et fac unguentum exactissime commixtum.

HYDRARGYRI OXYDATI RUBRI UNGUENTUM.

R. Hydrargyri oxydati rubri	20
Vaselini	980
	1000

Hydrargyrum oxydatum cum pauco vaselino tenuissime contere et fac unguentum perfectissime commixtum.

HYDRARGYRI UNGUENTUM

R. Hydrargyri	300
Lanolini	300
Adipis suilli	400
	1000

Hydrargyrum cum lanolini media parte contere, usque dum, vel lentis ope, nullum metalli globulum reperias. Tunc adde reliquum lanolinum et adipem suillum.

HYDRARGYRI UNGUENTUM CUM BELLADONNA.

R. Hydrargyri unguenti	850
Belladonnæ extracti	100
Aquæ	50
	1000

Extractum aqua solve et hydrargyri unguento commisce.

HYDRARGYRUM.

Metallum liquidum, splendens, avolans ex toto. P. S. : 13,573.

Si aliquot guttæ hydrargyri super chartam papyri albam cadant, metallum glomeratur parvis sphæris et non relinquit vestigium metallicum.

Plane solvitur in acido nitrico et solutio, ad siccitatem evaporata, relinquit residuum, quod calcinatione quantitatem æstimabilem materiæ fixæ non præbet.

HYDRARGYRUM BICHLORATUM.

Sublimatus corrosivus.

Pulvis crystallinus aut glebæ e crystallis prismaticis constitutæ. Hydrargyrum bichloratum album est, sine odore, saporis metallici ingrati, solubile in 16 partibus aquæ frigidæ et in 3 partibus aquæ bullientis, in circiter 3 partibus alcoholis et in æthere. Natrio chlorato, ammonio chlorato et acido tartarico facilius solvitur in aqua. Solutione aquosa lacca musci rubescit, non vero si solutio augeatur natrio chlorato.

Hydrargyrum bichloratum calore liquescit et ex toto avolat.

Solutio aquosa 1:20 efficit stanno chlorato præcipitatum album, quod excedente reactivo fit cinereo-nigrescens, præsertim calore, et argento nitrico efficit præcipitatum album in acido nitrico insolubile.

Acido chlorhydrico acidulata, dein acido sulfhydrico saturata, efficit præcipitatum nigrum. Solutio, filtratione a præcipitato liberata, post evaporationem non relinquat residuum æstimabile. Præcipitatum hydrargyri sulfurati collectum, cum ammonio hydrico diluto agitatum, præbet liquidum alcalinum, quod, excedente acido chlorhydrico, nec ipsum flavescat nec præcipitatum flavum deponat.

Caute servetur in lagenis bene clausis, loco obscuro.

HYDRARGYRUM BICHLORATUM COMPRESSUM.

Compressa parata ope miscelæ partium æqualium hydrargyri bichlorati et natrii chlorati, cærulei vel violacei coloris.

Facile solvuntur in aqua.

Exhausta quantitate ætheris, 15 vicibus suo pondere majore, ne relinquant ultra 50 p. c. residui insolubilis.

Solutio aquosa compressorum hydrargyri bichlorati laccam musci non rubescit.

Unumquodque compressum involvatur charta nigra cui inscribatur litteris albis « *Poison-Vergift* » et indicetur dosis.

Hæc compressa nec serventur, nec vendantur nisi in vasis vitreis cum titulo « *Poison-Vergift* ».

Caute servetur a luce et humiditate remotum.

HYDRARGYRUM BICHLORATUM SOLUTUM.

Liquor sublimati corrosivi (Van Swieten).

℞.	Hydrargyri bichlorati	1
	Alcoholis	100
	Aquæ	899
		1000

Ex tempore parandum.

HYDRARGYRUM BIIODATUM RUBRUM.

Deuto-ioduretum hydrargyri.

Pulvis crystallinus, gravis, coccineo-ruber, odoris et saporis expers, quasi insolubilis in aqua, satis solubilis in alcohole, præsertim calore, solubilis in æthere.

Hydrargyrum biiodatum cum kalio iodato efficit ioduretum duplum, incolor et in aqua valde solubile.

Calefactum in tubo clauso, flavescit, liquescit, dein ex integro avolat, præbens sublimatum flavum frictione rubescens.

Agita 1 gr. hydrargyri biiodati cum 10 c. c. aquæ et filtra; pars filtrati, argento nitrico aucta, nonnisi leviter turbetur; altera pars acido sulfhydrico saturata, ad summum obfuscetur.

Servetur in lagenis bene clausis, a luce remotum.

HYDRARGYRUM CYANATUM.

Cyanuretum hydrargyri.

Crystalla prismatica, alba, modo pellucida, modo opaca, absque odore, saporis metallici nausei, solubilia in circiter 13 partibus aquæ

frigidæ et in 3 partibus aquæ bullientis, solubilia etiam in alcohole, paucissime in æthere.

In lamina platinea calefactum, hydrargyrum cyanatum decomponitur et avolat sine æstimabili residuo.

Si in tubo clauso calefacias miscelam partium æqualium hydrargyri cyanati et iodi, deponitur in parte frigida tubi sublimatum constans zona inferiori hydrargyro biiodato flavo, paulatim rubescente, et superiore zona aciculis albis cyanogenii iodati.

Solutio aquosa 1 : 20 neutra est; acido nitrico acidulata, non præcipitatur aliquot guttis argenti nitrici soluti.

Caute servetur.

HYDRARGYRUM MONOCHLORATUM.

Calomelas.

Solus sic dictus « vapore paratus » calomelas officinalis est.

Pulvis albus, subtilissimus, odoris et saporis expers, flavescens, si fortiter trituretur. Si centies amplificetur microscopio, apparet constare cristallulis prismaticis, tenuibus, magnitudinis fere æqualis, quasi opacis, inter quas raro videntur fragmenta pellucida.

Hydrargyrum monochloratum non solvitur in aqua, in alcohole et in æthere. Calefactum, ex integro avolat quin prævie liquescat. Cum natrio hydrico calefactum, nigrescit quin ammoniam edat.

Agita 2 gr. hydrargyri monochlorati cum aqua et filtra duplice filtro; liquidum filtratum nec acido sulfhydrico, nec argento nitrico præcipitetur; auctum 2 voluminibus acidi sulfurici et aliquot guttis indici soluti, non decoloretur calidum.

Quando hydrargyrum monochloratum cum æthere tractatur, liquidum filtratum nec obfuscetur, nec, cum acido sulfhydrico soluto quassatum, relinquat præcipitatum nigrum.

A luce remotum servetur.

HYDRARGYRUM MONOIODATUM FLAVUM.

Proto-ioduretum hydrargyri.

R.	Hydrargyri	10
	Iodi	6
	Alcoholis.	Q. S.

Iodum et hydrargyrum tritura in mortario porcellaneo, addendo quantitatem alcoholis stricte necessariam ut habeatur pasta homogenea. Triturando perge donec pulvis fiat obscure viridis et non amplius contineat globulos hydrargyri. Dum trituras, tene miscelam alcohole humidam et, ne quid accidat, non majorem assumas quantitatem.

Productum dein lava alcohole bulliente ut expellatur hydrargyrum biiodatum, infra reactionem generatum. Sicca temperatura ad summum 30° et loco obscuro.

Pulvis flavo-virescens, luce nigrescens, odoris et saporis expers, in aqua et in alcohole insolubilis.

Hydrargyrum monoiodatum, in tubo clauso calefactum, decomponitur et ex integro avolat. Cum solutione aquosa kalii iodati tractatum, deponit hydrargyrum metallicum.

0,5 gr. hydrargyri monoiodati cum 10 c. c. alcoholis agita et filtra filtro duplice, alcohole humectato; liquidum collectum sit incolor. Hoc liquidum in 2 partes sejungatur; altera, cum acido sulfhydrico tractata, leviter obfuscari, altera argento nitrico leviter turbari potest, sed liquidum non fiat opacum.

Servetur a luce remotum, in lagenis bene clausis.

HYDRARGYRUM OXYDATUM FLAVUM.

Oxydum hydrargyri flavum.

Pulvis flavus, gravis, amorphus, fere insolubilis in aqua, facile solubilis in acido chlorhydrico et in acido nitrico.

Pro probationibus, conferatur articulus *Hydrargyrum oxydatum rubrum.*

Servetur a luce remotum, in lagenis bene clausis.

Hydrargyrum oxydatum flavum nonnisi expressa præscriptione dispensetur.

HYDRARGYRUM OXYDATUM RUBRUM.

Oxydum hydrargyri rubrum.

Pulvis crystallinus, ruber, porphyrisatione flavescens, fere insolubilis in aqua.

Aqua madefactum, hydrargyrum oxydatum solvitur in acido chlorhydrico sine effervescentia et generat solutionem incolorem quæ, cum stanno chlorato tractata, efficit præcipitatum album, quod fit cinereo-nigrescens cum excedente reactivo, præsertim calore.

In tubo clauso calefactum, obscuratur, dein decomponitur in hydrargyrum et oxygenium, quin relinquat residuum æstimabile aut vapores nitrosos emittat.

Agita 1 gr. hydrargyri oxydati cum 2 c. c. aquæ et caute adde 2 c. c. acidi sulfurici; post mixtionem, exspecta dum refrigeretur et appone ad superficiem liquidi climpidati 1 c. c. ferri sulfurici soluti; nec immediate, nec aliquo tempore elapso appareat coloratio obscura ubi se tangunt liquida.

Solutio 1 gr. hydrargyri oxydati in 20 c. c. acidi nitrici diluti, ita aucta aqua ut obtineantur 100 c. c., prostat liquido limpido, quod argento nitrico nonnisi leviter turbetur.

Servetur a luce remotum.

HYDRARGYRUM PRÆCIPITATUM ALBUM.

Præcipitatum album.

R.	Hydrargyri bichlorati	100
	Aquæ bullientis	2000

Solve et filtra. Conquassando, paulatim infunde solutionem omnino refrigeratam in :

Ammonii hydrici soluti . . Q. S. (circiter 90).

ut miscela maneat alcalina. Præcipitatum in filtrum recolligatur, dein exstilletur et paulatim lavetur cum :

Aquæ 900

Præcipitatum prudenter expressum siccetur sub temperatura non ultra 30°, a luce remotum.

Massa, aut pulvis amorphus, albus, odore carens, in aqua fere insolubilis, calore ex toto solubilis in miscela partium æqualium acidi nitrici et aquæ.

Si præcipitatum album cum excedente natrio hydrico soluto calefiat, emittitur ammonia et hydrargyrum oxydatum flavum præcipitatur.

In tubo probatorio calefactum, præcipitatum album decomponitur quin prius liquescat et non relinquit residuum fixum æstimabile.

Servetur in lagenis bene clausis, a luce remotum.

HYDRASTININUM HYDROCHLORICUM.

Pulvis crystallinus, aut aciculæ flavescentes, sine odore, saporis amari, facile solubiles in aqua et in alcohole, minus in æthere et in chloroformio, liquescentes circiter 210°, flagrantes sine residuo.

Solutio aquosa 1 : 20 flavida est; fluorescit et dilutione fluorescentia cœrulea augetur. Kalio bichromico soluto 1 : 20 et platino chlorato soluto 1 : 20 efficit præcipitata crystallina flava; primum solvitur si liquidum calefiat, alterum non evanescit nisi additis 3 voluminibus aquæ ante calefactionem; refrigeratione deponuntur utrobique aciculæ flavo-rubescentes.

Solutio aquosa 1 : 20 cum lacca musci neutra est; reactivo Nessleriano efficit præcipitatum coloris obscuri mox nigrescens; non turbatur ammonio hydrico soluto; ope aquæ bromatæ edit præcipitatum flavum, quod ex toto solvitur ammonio hydrico soluto, præbens solutionem parvi coloris.

Solutioni 0,10 gr. hydrastinini hydrochlorici in 3 c. c. aquæ adde 4-5 guttas natrii hydrici soluti; miscela albide turbatur, sed mox, leviter agitata, ex toto elimpidatur; si tubus diu agitetur, aut si parietes virga vitrea fricentur, albæ deponuntur crystalli; liquidum innatans non remaneat lacteum et nonnisi leviter flavo gaudeat colore.

Caute servetur.

HYDRASTIS EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Hydrastis rhizomatis	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod 20 p. c. residui sicci relinquat.

HYDRASTIS RHIZOMA.

Rhizoma cum radicibus adventitiis *Hydrastis canadensis* (L.).

Rhizoma nodosum, tortuosum, fragile, 3 ad 6 centim. longum, 3 ad 5 millim. crassum, striis per longitudinem notatum, extus cinereo-fuscum, intus flavo-viridescens. Rhizomati adhærent bases caulium.

HYDROGENIUM PEROXYDATUM.

Liquidum decolor, odoris expers, reactionis leviter acidæ, pondere circiter 3 p. c. hydrogenii peroxydati continens et spargere capax circiter 10 volumina oxygenii.

Acido sulfurico diluto auctum, kalium permanganicum decolorat, simulque emittitur gazum oxygenii.

5 c. c. hydrogenii peroxydati adde aliquot guttas acidi sulfurici diluti, 2-3 guttas kalii bichromici soluti et cum æthere agita; hoc solvens cœruleum sumit colorem.

Hydrogenium peroxydatum solutum nonnisi leviter turbetur baryo nitrico; non præcipitetur acido sulfurico diluto.

Miscela 1 voluminis hydrogenii peroxydati cum 7 voluminibus aquæ, 1 volumine acidi sulfurici et 2 voluminibus kalii permanganici soluti ad 5 p. c., emittat 20 volumina gazi.

50 c. c. hydrogenii peroxydati adde 1-2 guttas phenolphthaleini soluti et guttatim in miscelam agitando immitte de liquore normali natrii hydrici donec appareat coloratio rubra; volumen liquoris alcalini adhibitum non sit ultra 1 c. c.

50 c. c. hujus liquidi evaporatione non relinquant residuum ultra 0,25 gr. ponderis.

Servetur loco frigido in lagenis omino plenis, a luce remotum.

Ad usum medicalem, si opus est, neutralisa illud calcio carbonico; decantha vel filtra.

HYOSCYAMI EXTRACTUM.

R. Hyoscyami folii	Q. V.
Alcoholis 70°	Q. S.

Folia sicca apte divisa alcohole exhauri; liquores alcoholicos, donec omnis alcohol avolaverit, abdestilla; ad refrigerandum repone et post certum tempus filtra; massam resinosam secretam aqua calida iteratis vicibus exhauri; liquores aquosos limpidos commisce et ad consistentiam extracti firmi coge. Inter concentrandum cura ne temperatura prætergrediatur 50°.

Extractum 10 p. c. circiter humoris continere potest; alcaloideorum 0,3 p. c. continere debet.

Alcaloideorum computatio. — Normam sequere verbo *Belladonnæ extractum* relatam.

Alcaloideorum ratio sit 0,3 p. c. Si superiorem inveneris, adde sacchari lactis quantum satis erit ut ratio ad 0,3 p. c. reducatur.

HYOSCYAMI FOLIUM.

Hyoscyami nigri (L.) folium, incipiente anthesi, lectum.

HYOSCYAMI OLEUM.

R. Hyoscyami folii (pulveris n° 10)	100
Alcoholis	200

Macera per 12 horas et adde :

Olei officinalis	1000

Balneo aquæ sub frequenti motione calefac, donec alcohol vaporetur ex toto; cola, exprime et filtra.

Procul a luce servetur.

HYOSCYAMI OLEUM COMPOSITUM.

R. Hyoscyami olei	996
Lavandulæ essentiæ	1
Menthæ essentiæ	1
Rorismarini essentiæ	1
Thymoli	1
	1000

Procul a luce servetur.

HYOSCYAMI TINCTURA.

R. Hyoscyami folii	100
Alcoholis 70°	1000

Percolatione fac tincturam.

ICHTHYOCOLLA.

E diversorum *Acipenserum* vesica natatoria paratur. Sub forma membranarum adfertur, irregularium, complanatarum vel contortarum. Alba est, diaphana, inodora, insipida, tenax, juxta fibrillas se scindens; Aqua ferventi fere ex toto solvitur, et refrigerata spissam mucilaginem præbet; aqua acido chlorhydrico aucta solvitur.

INFUSA.

Vide *Decocta et Infusa*.

IODI TINCTURA.

R. Iodi	100
Alcoholis	900
	1000

Solve.

Tinctura debet continere 10 p. c. iodi totalis, e quo 9,4 p. c. saltem iodi liberi; unde si 2 gr. tincturæ cum 0,40 gr. kalii iodati ope 20 gr. aquæ soluti miscueris et aliquot guttas amyli soluti addideris, color non evanescat antequam saltem 14,8 c. c. liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi infuderis.

IODOFORMII COLLODIUM.

R. Iodoformii pulveris	100
Ætheris alcoholici	100
Pyroxylini soluti	800
	1000

Iodoformium cum æthere alcoholico conquassa; pyroxylinum solutum adde.

Ex tempore misce.

IODOFORMIUM.

Lamellæ crystallinæ, splendentes, aut pulvis crystallinus, coloris flavi citrini et odoris specialis, valde penetrantis.

Iodoformium fere insolubile est in aqua; solvitur in circiter 50 partibus alcoholis frigidi, in 10 partibus alcoholis bullientis et in 6 partibus ætheris; vix solvitur in glycerino. Solutiones alcoholicæ aut æthereæ iodoformii in aere et in lumine paulatim obfuscantur, siquidém liberatur iodum.

Iodoformium liquescit ad 120°; altius calefactum, decomponitur vapores violaceos iodi emittens et evanescit absque æstimabili residuo.

1 partem iodoformii cum 10 partibus aquæ per minutum agita et filtra; liquidum filtratum sit incolor, non turbetur baryo nitrico; leviter opalescere potest argento nitrico.

Servetur in lagenis bene clausis, a luce remotum.

IODOFORMIUM SOLUTUM IN ÆTHERE.

R. Iodoformii	5
Ætheris.	95
	100

Ex tempore para.

IODUM.

Lamellæ crystallinæ, nigro-griseæ, metallice splendentes, odoris et saporis peculiaris.

Iodum parum solubile est in aqua, solubile in alcohole, in æthere et in solutione aquosa kalii iodati, solubile etiam in chloroformio et in carboneo sulfurato, quæ violaceo tingit colore.

Igne plane avolat, emittens vapores violaceos.

Solutione aquosa iodi, amylum solutum cœrulescit.

Per aliquod tempus agita 0,25 gr. iodi cum 10 c. c. aqua, dein filtra; auge liquidum excedente ammonio hydrico soluto et excedente argento nitrico, filtra et supersatura acido nitrico; turbari potest, non autem præcipitari.

Solve 0,20 gr. iodi in kalio iodato soluto ad 5 pro centum; adde de liquore decinormali natrii hyposulfurosi usquedum flavescat miscela, dein 1 vel 2 guttas amyli soluti et tandem guttatim de liquore gradato natrii hyposulfurosi donec decoloretur; opus est ad minus 15,5 c. c. hujus liquoris gradati.

Servetur in lagenis epistomio vitreo clausis.

IPECACUANHÆ EXTRACTUM FLUIDUM COMPOSITUM.

R. Ipecacuanhæ tincturæ	30
Sennæ extracti fluidi	30
Papaveris rhæados extracti fluidi. . . .	20
Aurantii citri florum spiritus	2
Serpylli spiritus	2
Alcoholis	16
	100

IPECACUANHÆ PULVIS.

Pulvis n° 40 paretur e radice ipecacuanhæ, lignea parte privata. Calore 100° siccatus, continere debet 2 p. c. alcaloideorum.

Alcaloideorum computatio. — 12 gr. ipecacuanhæ pulveris tenuis-

simi, calore 100° siccati, in vas cylindricum immitte; adde 90 gr. ætheris et 30 gr. chloroformii et vehementer conquassa; dein adde 10 c. c. mixturæ constantis ex 1 parte natrii hydrici soluti et 1 parte aquæ; per 3 horas frequenter conquassa. Adde nunc 10 c. c. aquæ vel amplius, si necesse, ut pulvis glutinetur. Cum subsederit, in filtrum siccum et coopertum decantha liquorem æthero-chloroformicum limpidum, et in parva ampulla colaturæ 100 gr. collige; hujus partem fere mediam abdestilla, reliquam in ampullam separatoriam infundens. Ampullam ternis vicibus elue ope 5 c. c. ætheris, quod etiam in ampullam separatoriam fundes; additis 12 c. c. acidi chlorhydrici liquoris decinormalis, vehementer conquassa. Adde, si opus sit, ætheris quantum satis ut solutio æthero-chloroformica superemineat; ad subsidendum repone; liquorem aquosum per chartam madefactam filtra, colaturam colligens in ampulla ad 100 c. c. signata. Liquorem æthero-chloroformicum ternis vicibus ope 10 c. c. aquæ elue, aquas per eamdem chartam cola, chartam ipsam aqua elue et liquoris aquosi 100 c. c. perfice.

Ex hoc sume 50 c. c., aquæ æquali volumine dilue; adde ætheris quantum satis ut ad crassitudinem 1 centimetri ætheris stratum attingat; adde etiam 5 guttas iodeosini soluti, dein guttatim, liquorem natrii hydrici centinormalem usquedum solutio aquosa conquassata colorem pallide rubrum ducat.

Numerum centimetrorum cubicorum liquoris alcalini e 60 subtrahe. Reliquum cum 0,00254 multiplicatum ratio erit alcaloideorum in 5 gr. pulveris contentorum. Hanc rationem cum 20 multiplicabis ut rationem pro centum invenias.

Si ultra 2 p. c. inveneris adde quantum satis sacchari lactis ut pulverem reducas ad rationem debitam.

Opii et Ipecacuanhae Pulvis Compositus.

IPECACUANHÆ PULVIS OPIATUS.

Pulvis Doveri. — Pulvis opii compositus.

Opii et ipecacuanhæ pulvis opiatus.

℞.	Opii pulveris	100
	Ipecacuanhæ pulveris	100
	Sacchari lactis.	800
		1000

Pulvis hic contineat 1 p. c. morphini.

IPECACUANHÆ RADIX.

Radix *Uragogæ ipecacuanhæ* (Baillon).

Radix tortuosa, ad summum 6 millim. crassa, cortice constans atro-

cinereo, crasso, annulis prominentibus ornato, valde propinquis, et meditullio ligneo subflavescente, parvo.

In parandis medici præscriptis, pulvis ipecacuanhæ gradatus adhibendus est.

IPECACUANHÆ SIRUPUS.

℞. Ipecacuanhæ tincturæ	100
Sirupi simplicis	1000

Misce et vapora ad 1000 partes.

IPECACUANHÆ SIRUPUS COMPOSITUS.

℞. Ipecacuanhæ extracti fluidi compositi . .	50
Sirupi simplicis	950
	1000

IPECACUANHÆ TABELLÆ.

℞. Ipecacuanhæ pulveris n° 40	10
Tragacanthæ gummi.	6
Sacchari	984
Aurantii citri florum aquæ.	Q. S.

Misce et in tabellas 1 gr. divide.

IPECACUANHÆ TINCTURA.

℞. Ipecacuanhæ radicis pulveris	100
Alcoholis 70°	Q. S.

Percolatione fac tincturam quæ 0,20 p. c. alcaloideorum contineat.

Alcaloideorum computatio. — Vaporando 62,5 gr. tincturæ ad 6 gr. coge; residuo adde 5 gr. alcoholis absoluti, 90 gr. ætheris et 30 gr. chloroformii; conquassa vehementer in vase cylindrico; adde 10 c. c. miscelæ ex 1 parte natrii hydrici soluti et 1 parte aquæ constantis; per unam horam frequenter conquassa; liquorem limpidum ætherochloroformicum in chartam siccam et coopertam decantha; in parva ampulla collige colaturæ 100 gr. et perge ut supra dictum est verbo *Ipecacuanhæ pulvis,* ita tamen ut 6 c. c. tantum adhibeas acidi chlorhydrici liquoris decinormalis.

Numerum centimetrorum cubicorum natrii hydrici centinormalis e 30 subtrahe.

Differentia cum 0,00254 multiplicata rationem præbebit alcaloideorum in 25 gr. ipecacuanhæ tincturæ contentam. Hanc cum 4 multiplica ut rationem p. c. invenias.

Quæ si 0,20 p. c. prætereat, alcohole 70° dilue.

IRIDIS RHIZOMA.

Rhizoma, radicibus et cortice privatum, *Iridis germanicæ* (L.), *Iridis pallidæ* (Lamarck) et *Iridis florentinæ* (L.).

JABORANDI FOLIUM.

Foliolum e viridi flavescens *Pilocarpi pennatifolii* (Lemaire).

JALAPPÆ RESINA.

Resina e flavo fusca, friabilis, fracturæ nitentis, alcohole 75° ex toto solubilis, æthere vero perpaulum, carboneo sulfurato insolubilis. Natrio hydrico soluto solvitur; solutio limpida maneat si diluatur aqua, et acido diluto excedente saturata vix turbetur.

Chloroformio, alcohole privato, ne ultra 7 p. c. hujus resinæ solvantur.

JALAPPÆ TINCTURA.

R. Jalappæ resinæ	20
Alcoholis 80°	980
	1000

JALAPPÆ TINCTURA COMPOSITA.

R. Jalappæ resinæ	10
Scammoniæ resinæ	15
Zingiberis tincturæ	25
Alcoholis 80°	950
	1000

JALAPPÆ TUBER.

Tuber *Ipomeæ purgæ* (Hayne).

Tubera plerumque pyriformia parva, cum crassiorum fragmentis, in quatuor partes vel in rotulas divisis. Ponderosa et compacta sunt, tecta cortice rugoso atro-cinereo, intus texturæ obscure cinereæ, in qua zonæ concentricæ subatræ utriculis resinosis nitentibus constantes distinguuntur; amyli grana continet quorum figura specifica est. Odor debilis sed ingratus, sapor acris, nauseosus, adstringens.

Tuber jalappæ alcoholi saltem 8 p. c. cedat resinæ aqua insolubilis, æthere fere insolubilis.

JECORIS ASELLI OLEI EMULSIO.

R. Carrageen	10
Aquæ	500

Lente fervefac, per mediam horam, aquam avolatam restituens; cola per telam absque expressione, et collige decocti 450 gr.

Ex altera parte misce :

Tragacanthæ gummi pulveris	1
Jecoris aselli olei.	500
Anetholi	2
Ætheris acetici	1
Aldehydi benzoici	0,50

Mixturæ adde decoctum carrageen et 50 partes glycerini.

Conquassa vehementer.

JECORIS ASELLI OLEUM.

Oleum extractum e recentibus jecoribus *Gadi morrhuæ* et *Gadi æglefini*, et infra 0° filtratum.

Est coloris subflavi vel flavi, saporis et odoris debilium; limpidum maneat ad 0°; sit rancoris exspers; chartam exploratoriam alcohole madefactam vix rubefaciat. P. S. : 0,922 ad 0,931.

Si 1 guttam olei 2 c. c. carbonei sulfurati depurati solveris, 1 guttam acidi sulfurici addideris et miscueris, mixtura colorem ducet amethystinum, postea cerasinum, denique fuscum.

Si ad 30 guttas olei jecoris 6 guttas acidi nitrici addideris, oleum, contactus loco, roseum fit; per conquassationem mixtura fit prius roseo-flammea, deinde flavo-citrina.

Si 1 c. c. acidi nitrici fumantis, 1 c. c. aquæ et 2 c. c. olei jecoris vehementer conquassaveris, oleum nequit intra 2 dies sive ex toto sive ex parte solidum fieri.

Index iodi (post 12 horarum contactum) sit inter 140 et 156. Index saponificationis non sit ultra 196.

Serva procul a luce.

JUGLANDIS EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Juglandis folii	Q. V.
Aquæ	Q. S.

Post extractionem, liquorem vapora donec, circa 15°, pondus specificum 1,25 attingat; alcoholis 50° æquum pondus adde; ad subsidendum repone et filtra.

Juglandis extractum fluidum relinquat saltem 20 p. c. residui sicci.

JUGLANDIS FOLIUM.

Foliolum, petiolo privatum, *Juglandis regiæ* (L.).

Colorem suum viridem ne amiserit.

JUNIPERI FRUCTUS.

Fructus *Juniperi communis* (L.).

KALII CHLORICI TABELLÆ.

R. Kalii chlorici	100,00
Carmini.	0,50
Tragacanthæ gummi	6,00
Sacchari	893,50
Aurantii citri florum aquæ.	Q. S.

Misce et in 1 gr. tabellas divide.

KALII IODATI PILULÆ.

R. Kalii iodati	20
Amyli pulveris	5
Sirupi simplicis	Q. S.

Kalium iodatum tenuissime contere et cum amylo misce; adde sirupum et divide in 100 pilulas.

KALIUM ACETICUM.

Acetas potassæ.

Pulvis amorphus, albus, levis, odoris empyreumatici expers, saporis salsi et calidi, deliquescens, solubilis in alcohole et in minus dimidio sui ponderis aquæ, liquescens ad 292°.

Cum acido sulfurico calefactum, kalium aceticum emittit acidum aceticum, quin liquidum nigrescat.

Ustum præbet kalium carbonicum, quo flamma violaceo tingitur colore.

Solutio aquosa 1:20 nec acido sulfhydrico, nec ammonio oxalico, nec baryo nitrico præcipitetur. Acido nitrico aucta, nonnisi leviter turbetur argento nitrico.

Servetur in lagenis exsiccantibus.

KALIUM BICARBONICUM.

Bicarbonas potassæ.

Crystalla prismatica, absque colore, pellucida, in aere immutabilia, lente solubilia in 4 partibus aquæ, insolubilia in alcohole absoluto.

Solutio aquosa 1:10 laccam musci cœruleo tingit colore, cum acidis effervescit et magnesio sulfurico soluto non præcipitatur. Excedente acido tartarico aucta, efficit agitatione præcipitatum album crystallinum.

Solutio aquosa 1:20, acido acetico supersaturata, nec acido sulf-

hydrico, nec baryo nitrico præcipitatur; acido nitrico aucta, nonnisi leviter turbetur argento nitrico. 20 c. c. solutionis aquosæ, acido chlorhydrico supersaturata, 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti non cœrulescunt.

Ad saturandum 1 gr. kalii bicarbonici, indiges 10 c. c. liquoris normalis acidi chlorhydrici.

1 gr. kalii bicarbonici relinquat calcinatione 0,687 ad 0,690 gr. residui fixi.

KALIUM BITARTARICUM.

Bitartras potassæ depuratus.

Pulvis crystallinus, albus, odoris expers, saporis acidi, insolubilis in alcohole, solubilis in 200 partibus aquæ frigidæ, quæ solutio laccam musci rubefacit. Solvitur fere integre in pauco excedente ammonio hydrico soluto.

In lamina platinea calefactum, kalium bitartaricum spargit odorem sacchari tosti et mutatur in miscelam carbonis et kalii carbonici.

Cum excedente natrio hydrico calefactum, ne ammoniam emittat.

Tritura 5 gr. kalii bitartarici cum 100 c. c. aquæ et filtra; liquidum filtratum, acido nitrico auctum, non præcipitatur baryo nitrico; leviter turbari potest argento nitrico.

3 gr. kalii bitartarici tracta excedente ammonio hydrico soluto et filtra; hæc solutio non obfuscatur additis quibusdam guttis ammonii sulfurati, at, quodam tempore elapso, tantisper viridescere poterit.

Sine per semi-horam 1 gr. kalii bitartarici in contactu cum 5 gr. acidi acetici diluti, interdum agitando; adde dein 25 c. c. aquæ, agita et filtra; liquidum collectum, 8 guttis ammonii oxalici soluti auctum, non immediate turbetur.

KALIUM BROMATUM.

Bromuretum potassii.

Crystalli cubicæ, incolores, saporis salsi et pungentis, in aere persistentes.

Kalium bromatum solubile est in 2 partibus aquæ et in circiter 200 partibus alcoholis. Solutio aquosa 1:20, aqua chlorata aucta, flavescit.

Solutio aquosa concentrata neutra sit et cum acidis non effervescat; agitata cum acido tartarico soluto, paulatim relinquit præcipitatum crystallinum.

10 c. c. solutionis aquosæ 1:10, 20 guttis acidi sulfurici diluti aucta, non flavescant.

Kalium bromatum non tribuat flammæ colorem flavum permanentem.

Solutio aquosa 1:20, acido chlorhydrico acidulata, baryo nitrico addito non turbetur.

10 c. c. solutionis 1:20 adde 2 ad 3 guttas ferri sesquichlorati soluti, tubum per minutum in aquam bullientem infunde, refrigera et cum aliquot guttis chloroformii agita; hoc dissolvens violaceum non induat colorem.

Auge 1 gr. kalii bromati 10 c. c. acidi sulfurici diluti et parvo fragmento zinci metallici; 5 ad 10 minutis elapsis, filtra et supersatura liquidum natrio hydrico; ope excedentis reactivi Nessleriani, leviter in flavidum turbari poterit, non autem fuscum aut nigrum efficere præcipitatum.

Solutiones kalii bromati nec acido sulfhydrico, nec ammonio sulfurato, nec ammonio carbonico efficiant præcipitatum.

Solve 3 gr. kalii bromati desiccati in quantum satis aquæ ut habeas 100 c. c.; 10 c. c. hujus solutionis auge 2 guttis kalii chromici soluti, dein grada ope liquoris decinormalis argenti nitrici; ut color roseus appareat, adhibe ad summum 25,5 c. c. liquoris gradati.

KALIUM CARBONICUM.

Carbonas potassæ purus.

Pulvis granulosus, albus, deliquescens, solubilis in æquali pondere aquæ, insolubilis in alcohole absoluto.

Solutio aquosa 1:10 laccam musci violaceo tingit colore, cum acidis effervescit et magnesio sulfurico soluto præcipitatur. Cum multo excedente acido tartarico, edit præcipitatum crystallinum album. Flammam violaceo inficit colore, flavo autem nonnisi transitorie.

Solutio aquosa 1:20 acido sulfhydrico non coloratur. Hoc acido præcipitari nequit. Aucta 10 voluminibus liquoris decinormalis argenti nitrici, edat præcipitatum e flavo album, quod, paulisper calefactum, non obscuratur.

Solutioni aquosæ 1:20 adde parvam quantitatem ferri sulfurici et 1 guttam ferri sesquichlorati soluti, modice calefac, dein acido chlorhydrico supersatura; nec cœrulescat nec præcipitetur.

2 c. c. solutionis aquosæ 1:20 acido sulfurico supersatura, adde æquum volumen acidi sulfurici, dein, post refrigerationem, caute infunde ad superficiem liquidi ferrum sulfuricum solutum; non appareat zona fusca ubi se tangunt.

Solutio aquosa : 1:20, acido acetico supersaturata, nec acido sulfhydrico, nec baryo nitrico præcipitetur; acido nitrico supersaturata, leviter turbari potest argento nitrico, 2 minutis elapsis.

20 c. c. solutionis aquosæ 1:20, acido chlorhydrico supersaturata, non cœrulescant additis 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti.

Kalium carbonicum contineat ad minus 95 p. c. carbonatis anhydri.

Ad saturandum 1 gr. kalii carbonici, adhibenda sunt ad minus 13,7 c. c. acidi chlorhydrici liquoris normalis.

Servetur in vasis bene clausis.

KALIUM CHLORICUM.

Chloras potassæ.

Lamellæ crystallinæ, colore carentes, nitidæ, saporis frigidi et salsi, solubiles in 16 partibus aquæ frigidæ et in 3 partibus aquæ bullientis, parum solubiles in alcohole.

Solutio aquosa 1:20 neutra est; calefacta cum acido chlorhydrico, fit coloris e viridi flavi et emittit chlorum; cum acido sulfuroso et aliquot guttis acidi sulfurici diluti, demit colorem indico soluto; agitata cum acido tartarico soluto, paulatim deponit præcipitatum crystallinum.

Nec acidum sulfhydricum, nec ammonium oxalicum, nec argentum nitricum visibiliter reagunt cum solutione aquosa 1:20.

20 c. c. hujus solutionis non vere colorantur ope 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti.

Kalium chloricum non tingat flammam colore flavo permanente.

Cura ne tritures cum substantiis organicis aut oxydabilibus.

KALIUM HYDRICUM.

Potassa caustica fusa.

Cylindri aut laminæ albæ, duræ, siccæ, fracturæ crystallinæ, aere valde humescentes, valde solubiles in aqua, lente in alcohole.

Solutio aquosa kalii hydrici 1:10 laccam musci tingit colore fortiter cœruleo; aucta vero excedente acido tartarico, efficit præcipitatum album, crystallinum.

Solve 1 gr. kalii hydrici in 2 c. c. aquæ et adde 10 c. c. alcoholis; fortiter agita et aliquamdiu sepone; si formatur sedimentum, perexiguum sit.

Miscelam 10 c. c. solutionis aquosæ kalii hydrici 1:10 cum 15 c. c. calcii hydrici soluti fervefac et filtra; non emittatur anhydridum carbonicum quando liquidum filtratum infunditur in excedens acidum nitricum, suo volumine aquæ dilutum.

Solutio aquosa 1:50, acido nitrico supersaturata, non immediate præcipitetur baryo nitrico, et nonnisi leviter turbetur argento nitrico.

Ad saturandam solutionem aquosam continentem 0,56 gr. kalii hydrici, indiges ad minus 8,5 c. c. acidi chlorhydrici liquoris normalis.

Servetur in lagenis bene clausis, optatius obturamentis e gummi elastico confectis.

KALIUM IODATUM.

Iodureum potassii.

Crystalli cubicæ, coloris et odoris expertes, saporis salsi et amari, solubiles in 0,75 partibus aquæ et in circiter 12 partibus alcoholis.

Chloroformium, agitatum cum solutione aquosa kalii iodati, aucta aliquot guttis ferri sesquichlorati soluti, violaceum assumit colorem.

Kalium iodatum flammam tingit colore violaceo.

Solutio aquosa 1 : 10 neutra est; excedente acido tartarico aucta, efficit præcipitatum album crystallinum; cum acidis non effervescat.

Aucta parva crystallo ferri sulfurici, 1 gutta ferri sesquichlorati soluti et excedente natrio hydrico, dein per 2 minuta moderate calefacta, non cœrulescat si postea acido chlorhydrico supersaturetur.

Solutio aquosa 1 : 10, ope aquæ prævie bullitæ, dein refrigeratæ, parata, non immediate cœrulescat additis acido sulfurico diluto et 1-2 guttis amyli soluti.

20 c. c. solutionis aquosæ 1 : 20, acido chlorhydrico acidulata, non extemplo cœruleum sumant colorem si addantur 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti.

Calefac miscelam 1 gr. kalii iodati cum 5 gr. natrii hydrici soluti et 0,5 gr. pulveris zinci; non emittatur ammonia.

Solve in bulbulo 0,20 gr. kalii iodati in 2 c. c. ammonii hydrici soluti, dein adde 13 c. c. liquoris decinormalis argenti nitrici, fortiter conquassa et filtra; liquidum limpidum, acido nitrico supersaturatum, leviter turbari poterit, sed nec fiat opacum nec obscuretur intra 10 minuta.

Servetur in lagenis bene clausis.

KALIUM-NATRIUM TARTARICUM.

Tartarus natronatus. — Tartras sodico-potassicus.

Crystalli prismaticæ, coloris et odoris expertes, saporis salsi et paululum amari, solubiles in 1,4 partibus aquæ frigidæ.

Solutio aquosa concentrata cum lacca musci neutra est; acido acetico efficit præcipitatum crystallinum, facile solubile in excedente ammonio hydrico soluto.

Balneo aquæ calefactum, kalium-natrium tartaricum liquescit in sua aqua crystallisationis; intensius calefactum, hanc aquam emittit, dein convertitur in massam nigram et odorem sacchari tosti spargit. Aqua detrahit massæ carboneæ miscelam kalii carbonici et natrii carbonici et solutio, ad siccitatem evaporata, relinquit residuum quo flamma flavescit.

Solve 1 gr. kalii-natrii tartarici in 10 c. c. aquæ, dein agita solutionem cum 2 c. c. acidi acetici, sine subsidat præcipitatum crystallinum ita editum; decantha liquidum innatans, hoc liquidum dilue suo volumine aquæ et adde 8 guttas ammonii oxalici soluti ; non generetur præcipitatum infra unum minutum.

Solutio aquosa 1:20 nec obfuscetur nec præcipitetur acido sulfhydrico; addito acido nitrico et sejuncto præcipitato kalii bitartarici, non turbetur baryo nitrico; nonnisi leviter opalescat argento nitrico.

KALIUM NITRICUM.

Nitras potassæ.

Crystalli prismaticæ, aut pulvis crystallinus albus, in aere immutabilis, saporis frigidi et pungentis, solubilis in 4 partibus aquæ frigidæ et in minus 0,5 parte aquæ bullientis.

Solutio aquosa kalii nitrici 1:10 cum lacca musci neutra est, et, si augeatur acido tartarico excedente, generat præcipitatum album, crystallinum; si prævie misceatur æquali volumine acidi sulfurici, ac dein, post refrigerationem, augeatur ferro sulfurico soluto, obfuscatur ubi eam tangit.

Flamma non permanenter flavescat kalio nitrico.

Solutio aquosa 1:20 nec argento nitrico, nec baryo nitrico, nec ammonio oxalico, nec, si adsit ammonium hydricum solutum, natrio phosphorico turbetur. Non præcipitetur acido sulfhydrico, nec ammonio sulfurato. Kalio ferrocyanato non cœrulescat.

Acidum sulfuricum, kalio nitrico auctum, nec obfuscetur, nec flavescat.

KALIUM PERMANGANICUM.

Permanganas potassæ.

Crystalla prismatica, obscurissime violacea, metallice splendentia, solubilia in 16 partibus aquæ frigidæ et in 3 partibus aquæ bullientis.

Solutio aquosa 1:1000 cum lacca musci neutra est; substantiæ reducentes, ut sales ferrosi, acidum sulfurosum, etc. eam decolorant.

Calefac ad ebullitionem solutionem 0,50 gr. kalii permanganici in 25 c. c. aquæ cum 2 c. c. alcoholis et filtra; liquidum filtratum, decolor, acido nitrico acidulatum, non præcipitetur baryo nitrico; leviter turbari poterit argento nitrico.

Solutioni calidæ 0,50 gr. kalii permanganici in 5 c. c. aquæ adde acidum oxalicum usque ad decolorationem; liquidum refrigeratum auge suo volumine acidi sulfurici, agita et prudenter ad superficiem

liquidi frigidi appone ferrum sulfuricum solutum; non appareat coloratio fusca ubi se tangunt.

Cura ne kalium permanganicum tritures cum substantiis organicis aut reducentibus.

Servetur a luce remotum, in vasis bene clausis.

KALIUM SULFURATUM.

Sulphuretum potassii officinale.

R.	Sulphuris	1
	Kalii carbonici	2

Misce, immitte in crucibulum amplum, operculo munitum; calefac balneo arenæ calore moderato et agita donec massa non amplius tumescat, dein majorem appone calorem, ita ut massa liquescat. Effunde super laminam ferream; post refrigerationem, divide substantiam et serva in vasis hermetice clausis.

Massæ fuscæ, quæ paulatim ad superficiem mutantur, aere humescentes et leviter acidum sulfhydricum redolentes.

Kalium sulfuratum solvitur fere ex integro in 2 partibus aquæ, quæ solutio flavida est et reactionis alcalinæ.

Solutio aquosa 1:20, cum excedente acido acetico calefacta, emittit acidum sulfhydricum et simul sejungitur sulphur; per aliquod tempus fervefac ut glomeretur sulphur et, facto sedimento, filtra; liquidum filtratum, excedente acido tartarico adjecto, efficit præcipitatum crystallinum.

KALIUM SULFURICUM.

Sulphas potassæ.

Crystalla prismatica, dura, anhydra, in aere immutabilia, saporis amari, solubilia in 10 partibus aquæ frigidæ et in 3,8 partibus aquæ bullientis, insolubilia in alcohole.

Solutio aquosa 1:10 cum lacca musci neutra est; cum acido tartarico excedente edit præcipitatum crystallinum album, et cum baryo nitrico præcipitatum album, insolubile in acido chlorhydrico.

Kalium sulfuricum non inficiat flammam colore flavo persistente.

Solutio aquosa 1:20 nec acido sulfhydrico, nec, addito acido nitrico diluto, argento nitrico præcipitatur.

Ammonio sulfurato, ammonio oxalico, natrio phosphorico non turbatur, etiamsi prævie augeatur excedente ammonio hydrico soluto.

20 c. c. solutionis aquosæ 1:20 colorem cæruleum non induunt ope 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti.

KERMES MINERALE.

Stibium sulfuratum rubrum.

R. Natrii carbonici	20
Stibii sulfurati nigri.	1
Aquæ	200

Natrium carbonicum et aquam immitte in cuppam ferream, calefac ad ebullitionem, solutioni bullienti paulatim adde stibium sulfuratum tenuissime pulveratum; ebullitionem per unam horam circiter protrahe, frequenter agitando et supplendo aquam evaporatam; solutionem bullientem filtra et in vas calidum excipe. Post peractam refrigerationem, præcipitatum super filtrum recollige et aqua frigida lava, usquedum aqua lotionis non jam carbonatem contineat. Pulverem loco obscuro desicca calore non ultra 30°, et succerne cribro n° 40.

Pulvis levis, tactu mollis, coloris e fusco purpurei villosi, odoris et saporis expers, in aqua insolubilis. Crystallos continet microscopicas.

Solutio kalii hydrici demit ipsi stibium sulfuratum; acidum tartaricum solutum calidum solvit compositum oxygenatum stibii.

Kermes minerale solvitur in acido chlorhydrico bulliente, ac simul emittitur acidum sulfhydricum; obtineatur licet sedimentum sulphuris.

Hæc solutio diluta, post sufficientem ebullitionem, efficit, si frigide tractetur acido sulfhydrico, præcipitatum aurantiacum.

In tubo clauso calefactum, kermes minerale nigrescit et aquam emittit.

Ad arsenicum et aliorum metallorum composita detegenda, conferatur articulus *Stibium sulfuratum aurantiacum.*

Servetur a luce remotum, in lagenis bene clausis.

KERMETIS TABELLÆ.

R. Kermetis mineralis	10
Acaciæ gummi	30
Sacchari	960
Aquæ	Q. S.

Misce et in tabulas 1 gr. divide.

Defendantur a luce.

KREOSOTI PILULÆ.

R. Kreosoti	10
Aquæ	2
Liquiritiæ radicis pulveris n° 40	Q. S.

Ex aqua et kreosoto emulsionem para præsto; adde liquiritiæ pulverem et divide in 100 pilulas, quarum singulæ continebunt 0,10 gr. kreosoti.

KREOSOTUM.

Kreosotum extrahitur ex pice fagi.

Liquidum limpidum, decolor vel e fusco flavum, valde refringens, odoris peculiaris, saporis urentis, destillans inter 200° et 220°, quod etiam frigore —20° non fit solidum, omni relatione miscibile alcoholi, ætheri, carboneo sulfurato, chloroformio et oleis pinguibus, solubile in 120 partibus aquæ calidæ, insolubile in 3 voluminibus miscelæ 1 partis aquæ et 3 partium glycerini. P. S. : 1,08.

Solutio aquosa cum lacca musci neutra est; ope aquæ bromatæ efficit præcipitatum rubro-fuscum.

Solutio alcoholica, minima parte ferri sesquichlorati soluti aucta, cœrulo-violaceum, dein griseo-viridentem assumit colorem.

Si agites 1 c. c. kreosoti cum 2,5 c. c. natrii hydrici soluti, obtineas solutionem flavam, limpidam quæ, additis etiam 50 c. c. aquæ, non turbatur.

Solve 2 gr. kalii hydrici in 1 c. c. aquæ, adde 10 c. c. alcoholis absoluti, dein 1 gr. kreosoti et agita; miscela, per unam horam ad 10 circiter gradus caloris retenta, prostat sub forma massæ crystallinæ.

Kreosotum non coagulat pyroxylinum solutum.

Si agites 1 c. c kreosoti cum 2 c. c. petroleini et 2 c. c. baryi hydrici soluti, petroleini solutio nec cœruleum, nec sordide fuscum assumat colorem et solutio aquosa non rubescat.

Caute servetur, a luce defensum.

KREOSOTUM CARBONICUM.

Liquidum spissum, subflavum, odoris fere expers, quod vix kreosotum sapit, in aqua insolubile, solubile in alcohole, miscibile oleis pinguibus. In statu composito, 91 p. c. partes kreosoti fagei continet.

Sub actione natrii hydrici, decomponitur et oritur odor kreosoti.

Post diuturnam requiem temperatura inferiori, kreosotum carbonicum turbatur formatione parvarum crystallorum albarum guajacoli carbonici.

LANOLINUM.

Adeps lanæ.

Lanolinum anhydrum est flavescens, odoris debilis et molle, solubile in æthere vel chloroformio, non vero aqua; duplum aquæ pondus et ultra facile ei admisceri potest.

Lanolinum chloroformio solutum 1:50 si fuderis super acidum sulfuricum, color rubro-fuscus apparebit in contactus zona.

Balneo aquæ calefactum cum 1 volumine ferri sesquichlorati soluti et 2 voluminibus acidi chlorhydrici, lanolinum fit atro-violaceum.

Si 2 gr. lanolini 10 c. c. ætheris solveris et 2 guttas phenolphtaleini soluti addideris, solutio debet absque colore manere; cum 0,50 c. c. natrii hydrici liquoris decinormalis addita fuerint, hæc miscela colorem rubrum ducere debet.

Cum 6 gr. lanolini 2 gr. aquæ commisce et miscelam balneo aquæ cum 40 gr. aquæ liquefac; miscela reposita strata duo præbebit pellucida dum calida sunt; stratum unguinosum luteum æthere ex toto solubile sit; stratum aquosum neutrum sit erga chartam exploratoriam, vaporatum ne ullum relinquat residuum neque, cum natrio hydrico calefactum, ammoniam redoleat.

Lanolini 1 gr. alcoholis absoluti 20 c. c. calidi ope solve; solutioni frigidæ filtratæ si argentum nitricum in alcohole solutum 1:20 addideris, turbiditas si oriatur, jam non permaneat cum calefeceris.

Incineratione cineres lanolini ne ultra 0,05 p. c. reperiantur.

LANOLINUM CUM AQUA.

Adeps lanæ cum aqua.

R. Lanolini	75
Aquæ	25

Commisce ut habeatur massa homogenea.

Massa ex albo flavescens, odoris fere exspers. Balneo aquæ liquefacta in duo strata dividitur; siccata non ultra 30 p. c. sui ponderis amittere potest.

LAURI FRUCTUS.

Fructus *Lauri nobilis* (L.).

LAURI OLEUM.

Materia pinguis e calefactis lauri fructibus expressa.

Massa viridis, unguinosa, granulosa, constans miscela adipis et essentiæ, odoris aromatici, saporis amari. Circa 40° liquescit, æthere et benzolo solvitur, solutionem limpidam præbens.

Olei lauri 1 partem cum 2 alcoholis partibus calefac; sine ut miscela frigescat et decantha alcoholem; cujus color neque acido chlorhydrico neque ammonio hydrico soluto immutetur.

LAURO-CERASI AQUA.

R. Lauro-cerasi folii recentis.	1000
Aquæ	3000

Folia concide et contunde eaque statim in ampullam destillatoriam bene clausam immitte; post 12 horas destilla.

Collige 1000 priores destillati partes; vehementer conquassa, filtra et sufficienti aqua dilue ut acidi cyanhydrici 1 pars pro mille reperiatur.

Liquor incolor, odoris gravis, peculiaris, permanentis etiam postquam acidum cyanhydricum argento nitrico præcipitatum fuerit.

Si vis quantum acidi cyanhydrici in aqua adsit reperire, sume 25 gr. aquæ lauro-cerasi, dilue cum aquæ 75 c. c., adde 2 c. c. kalii hydrici liquoris normalis, dein natrii chlorati aliquot particulas, deinque, sub continua motione, argenti nitrici liquoris decinormalis quantum satis erit ut turbiditas appareat permanens. Liquoris argentici centimetrorum cubicorum numerum cum 0,0054 multiplica; summam cum 40 multiplica; sic invenies quantum acidi cyanhydrici in aquæ lauro-cerasi 1000 gr. adsit. 4,6

Ut conformis sit, ~~18,5~~ c. c. argenti nitrici liquoris decinormalis adhibeas necesse est.

Serva procul a luce et vasis probe clausis.

Quando præscribitur Aqua amygdalarum amararum præbe aquam lauro-cerasi.

LAURO-CERASI FOLIUM.

Pruni lauro-cerasi (L.) folium paulo ante anthesim lectum.

Recens adhibeatur.

Contusum, essentiam amygdalarum amararum redolet.

LAVANDULÆ ESSENTIA.

Lavandulæ florum destillatione elicita essentia.

Liquor incolor, flavescens vel e flavo viridescens, odoris grati, saporis calidi, subamari. P. S.: 0,885 ad 0,895.

Tribus alcoholis 70° partibus solubilis sit.

In ampulla 100 c. c. ampla, appende 2 gr. essentiæ; adde 10 c. c. alcoholis, 1 guttam phenolphtaleini soluti et quantum satis kalii hydrici liquoris alcoholici semi-normalis, ut color ruber appareat. Tum adde 20 c. c. kalii hydrici liquoris alcoholici semi-normalis; ampullæ impone apparatum frigidantem cum refluxu, et leni calore per horam coque. Cum frigida erit miscela, adde 50 c. c. aquæ, et excedens kalium hydricum acidi chlorhydrici liquore normali grada. Acidi ad summum 7 c. c. adhibere debebis (29,4 p. c. ad minus linalyli acetici).

LAVANDULÆ FLOS.

Lavandulæ veræ (L.) flos integer, e cæruleo cinereus.

LICHEN ISLANDICUS.

Cetrariæ islandicæ (Acharius) thallus integer.

Est membranaceus, consistentiæ satis firmæ, in lobos inæquales divisus, extus cinereus, intus fusco-fulvus.

Cum aquæ 20 partibus decoctus et refrigeratus, liquamen præbet amarum.

LIMONADÆ ACIDULATÆ.

R. Præscripti acidi	2
Sjrupi simplicis	75
Aquæ	923
	1000

LINI FARINA.

Lini semina in pulverem n° 10 redacta.

Æthere exhausta, lini farina ponderis sui saltem 30 p. c. amittat; igne cremata, ne ultra 6 p. c. cineres relinquat.

LINI OLEUM.

E lini semine extractum oleum.

Flavum est, limpidum, odoris peculiaris, saporis dulcis; vel ad —20° fluidum. P. S. : 0,936 ad 0,940.

Lini oleum, strato tenui extensum, spissari debet ad pelliculam duram, pellucidam.

Index iodi non sit infra 150. (Sume 0,10 gr. et reactionem ad 18 horas protrahe).

LINI SEMEN.

Semen *Lini usitatissimi* (L.).

Amplitudine varium, oblongo-ovatum, compressum; tegumine non ita duro, fusco, nitido coopertum, nucleum continens album, oleoseum; sapor ejus dulcis, mucilaginosus.

LINIMENTUM AMMONIACALE.

R. Ammonii hydrici soluti	100
Olei officinalis	900
	1000

Conquassa vehementer.

LINIMENTUM AMMONIACALE CAMPHORATUM.

R. Ammonii hydrici soluti	100
Olei camphorati	900
	1000

Conquassa vehementer.

LINIMENTUM CALCIS.

R. Calcii hydrici soluti	500
Olei officinalis.	500
	1000

Conquassa vehementer.

LIQUIRITIÆ EXTRACTUM.

R. Liquiritiæ radicis	Q. V.
Aquæ	Q. S.

Fac extractum siccum.

LIQUIRITIÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Liquiritiæ radicis.	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod saltem 25 p. c. residui sicci relinquat.

LIQUIRITIÆ PULVIS COMPOSITUS.

R. Sennæ folii pulveris n° 40	150
Liquiritiæ radicis pulveris n° 40	150
Fœniculi fructus pulveris n° 20	100
Sulphuris	100
Sacchari pulveris n° 30	500
	1000

LIQUIRITIÆ RADIX.

Radix *Glycyrrhizæ glabræ* (L.).

Adhiberi potest sive cum sive absque suo cortice fusco.

Maceratum aquosum, ingestis acidis, præcipitatur.

Radix pulvisque liquiritiæ, prius calore 100° siccati, ne incineratione ultra 7,5 p. c. cinerum relinquant.

LITHARGYRUM.

Squamulæ rubræ, aut pulvis e flavo rubescens.

Lithargyrum grave est, odoris expers, insolubile in aqua, solubile in acido nitrico diluto, sine vera effervescentia.

Solutio 1:20 in acido nitrico diluto, aucta acido sulfurico diluto, edit præcipitatum album plumbi sulfurici, solubile in excedente natrio hydrico soluto. Hæc solutio in natrio hydrico efficit præcipitatum nigrum acido sulfhydrico.

Solve 1 gr. lithargyri in circiter 5 c. c. acidi nitrici diluti; solutioni

adde 10 c. c. acidi sulfurici diluti; præcipitato deposito, liquidum innatans filtra acido sulfurico retracta et excedente ammonio hydrico soluto auge; ad summum leviter cœrulescat, et, si apparet præcipitatum rubescens, sit vix perceptibile.

Misce 5 gr. lithargyri cum 20 c. c. aquæ, adde 7 c. c. acidi acetici et calefac ad ebullitionem per aliquot minuta; post refrigerationem, residuum insolubile collige super filtrum ponderatum, lava, desicca et pondera; pondus residui 0,05 gr. non excedat.

Servetur in vasis bene clausis.

LITHIUM CARBONICUM.

Carbonas lithii.

Pulvis albus, odore carens, saporis leviter lixivialis, reactionis alcalinæ, solubilis in circiter 80 partibus aquæ frigidæ, insolubilis in alcohole.

In tubo clauso calefactum, lithium carbonicum liquescit et refrigeratum colligitur massa crystallina. Cum acido chlorhydrico effervescit et præbet solutionem limpidam quæ, ad siccitatem evaporata, relinquit residuum solubile in alcohole et flammam tingens minio-rubro colore.

Solutio lithii carbonici in excedente acido chlorhydrico diluto non efficit præcipitatum acido sulfhydrico; nec, semel neutralisata ope ammonii hydrici soluti, efficit præcipitatum ammonio sulfurato aut ammonio oxalico.

Solve 0,20 gr. lithii carbonici in 1 c. c. acidi chlorhydrici, ad siccitatem evapora balneo aquæ; residuum ex integro solvatur in 3 c. c. alcoholis.

Solutio 0,10 gr. lithii carbonici in 5 c. c. aquæ, aucta aliquot guttis acidi nitrici nonnisi leviter turbetur argento nitrico, nec præcipitetur baryo nitrico.

Ad neutralisanda 0,50 gr. lithii carbonici, prævie ad 100° siccati, indiges ad minus 13,4 c. c. liquoris normalis acidi chlorhydrici.

LITHIUM SALICYLICUM.

Pulvis crystallinus, albus aut leviter roseus, odore carens, saporis peculiaris, solubilis in aqua et in alcohole.

Lithium salicylicum carbonescit calore ac relinquit residuum quod cum acidis effervescit et flammam minio-rubro colore tingit.

Solutio aquosa fit cœrulo-violacea ferro sesquichlorato.

Simul ac præparata, solutio aquosa 1:5 vel nullo, vel leviter roseo tingitur colore; laccam musci nonnisi leviter rubefaciat.

Solutio aquosa 1:20 nec acido sulfhydrico, nec baryo nitrico præcipitetur.

2 volumina hujus solutionis 1:20, 3 voluminibus alcoholis aucta et acido nitrico acidulata, non edant præcipitatum cum argento nitrico soluto.

Adde 10 partes acidi sulfurici 1 parti lithii salicylici; nec coloratio nec vera effervescentia fiat.

Residuum 0,30 gr. lithii salicylici incinerati solvitur in 1 c. c. acidi chlorhydrici; hæc solutio, ad siccitatem evaporata, relinquit residuum ex integro solubile in 3 c. c. alcoholis.

LOBELIÆ HERBA.

Lobeliæ inflatæ (L.) herba florida.

Caulis superne ramosus; folia sessilia, ovata, irregulariter dentata, leniter pubescentia et rugosa; flores parvi, pallide violacei, in racemos apicales dispositi; fructus sunt capsulæ multa grana continentes.

Herbæ hujus sapor est acer.

LOBELIÆ TINCTURA.

R. Lobeliæ herbæ.	100
Alcoholis 70°	1000

Percolando tincturam fac, 1,25 p. c. saltem residui sicci relinquentem.

LYCOPODIUM.

Spori *Lycopodii clavati* (L.).

Pulvis sulflavus, valde mobilis, tactu lenis, inodorus, insipidus; in flammam projectus, subito inardescit absque ullo fumo.

Aqua frigida non madescit, bene vero alcohole, æthere, vel chloroformio.

Aqua, in qua lycopodium coxeris, cum frigida erit colorem cœruleum non ducat addita aqua iodata.

Incineratione lycopodii cineres ne 5 p. c. præteream.

MAGNESII CITRICI POTIO.

R. Acidi citrici	30
Magnesii carbonici	18
Aquæ	200
Acidi citrici sirupi	50

Acidum citricum aqua solve, adde magnesium carbonicum; reactione finita, filtra et adde sirupum.

Limonada cum 50 gr. magnesii citrici, hæc est.

Si aliter quam 50 gr. præscribatur, proportiones pro rata parte mutabis et eodem modo operaberis.

MAGNESIUM CARBONICUM.

Carbonas magnesiæ. — Magnesia alba.

Massa alba, aut pulvis levis, in aqua vix solubilis.

Magnesium carbonicum solvitur cum effervescentia in acido sulfurico diluto.

Calcinatione, 1 gr. magnesii carbonici generat ad minus 0,40 gr. magnesii oxydati, quod habeat dotes articulo *Magnesium oxydatum* præscriptas.

MAGNESIUM OXYDATUM.

Magnesia usta.

Pulvis albus, levis, vix solubilis in aqua.

Cum aqua mixtum, magnesium oxydatum laccam musci cœruleo tingit colore et penitus solvitur in acido chlorhydrico diluto sine notabili effervescentia. Hæc solutio, aucta ammonio chlorato, excedente ammonio hydrico soluto et natrio phosphorico efficit præcipitatum album crystallinum.

Solve 0,40 gr. magnesii oxydati in 20 c. c. acidi chlorhydrici diluti; hæc solutio non præcipitatur acido sulfhydrico. Aucta ammonio chlorato, excedente ammonio hydrico soluto et ammonio sulfurato, viridescere potest, quin immediate præcipitetur. Suo volumine aquæ diluta, dein baryo nitrico tractata, leviter turbari potest.

Solutio 1 : 20 magnesii oxydati in acido nitrico diluto ad summum leviter opalescere potest argento nitrico.

Calcina 1 gr. magnesii oxydati, dein cum 40 c. c. aquæ agita, filtra et liquido filtrato adde æquum volumen aquæ; hæc miscela, ammonio oxalico aucta, nonnisi leviter turbetur intra 5 minuta.

Servetur ab aere remotum.

MAGNESIUM SULFURICUM.

Sulphas magnesiæ.

Crystalli aciculares, sine colore, vix efflorescentes, saporis amari, solubiles in circiter suo pondere aquæ frigidæ, solubiliores in aqua bulliente.

Solutio aquosa 1 : 20 cum lacca musci neutra est. Baryo nitrico efficit præcipitatum album, in acido chlorhydrico insolubile, et natrio phosphorico, postquam aucta fuerit excedente ammonio chlorato et ammonio hydrico soluto, præcipitatum crystallinum album.

Solutio aquosa 1 : 20 nec argento nitrico nec acido sulfhydrico præcipitatur. Aucta ammonio chlorato et ammonio hydrico soluto excedente, præcipitatum efficere nequit ammonio sulfurato.

Magnesium sulfuricum non inficiat flammam colore flavo persistente.

Agita 1 gr. magnesii sulfurici pulveris cum 3 c. c. stanni chlorati soluti; miscela non obfuscetur etiam una hora elapsa.

MAGNESIUM SULFURICUM EFFERVESCENS.

℞.	Magnesii sulfurici.	500
	Natrii bicarbonici.	360
	Acidi tartarici	190
	Acidi citrici	125
	Sacchari pulveris.	105

Magnesium sulfuricum desicca ad circiter 50°, donec amittat 23 p. c. sui ponderis; saccharum et alia dein ingredientia commisce. Calefac miscelam, massam glutinatam cribro succerne ut habeas grana et sicca non ultra 50°.

MALVÆ FLOS.

Malvæ sylvestris (L.) flos integer.

Siccando, corolla colorem ducit e cæruleo violaceum.

MANNA.

Succus, sponte siccatus, ex inciso cortice *Fraxini orni* (L.) oriundus.

Fragmentis constat ex albo flavescentibus, siccis, levibus, friabilibus, saporis dulcis et odoris mellei.

Manna cum aqua solutionem præbet turbidam. Lente solvitur 20 partibus alcoholis ferventis, 25 p. c. residui ad summum relinquens; dum solutio frigescit, multa secernuntur manniti crystalla.

MASTIX.

Pistaciæ lentisci (L.) resina.

Grana parva, globosa vel pyriformia, sicca, fragilia, subflava, pellucida, fracturæ nitidæ, sæpe albo pulvere induta, odoris balsamici, saporis aromatici sub-adstringentis.

Masticatione mollescunt; æthere et essentia terebinthinæ solvuntur.

MEL.

Apis mellificæ (L.) opus dulce, tum spisse liquidum et pellucidum, tum ad massam mollem, opacam plus minusve granosam contractum.

Mel est coloris albi, subflavi vel e flavo fusci, saporis dulcis, odoris grati, balsamici.

Si 30 gr. mellis ope 60 gr. aquæ solveris, pondus specificum soluti erit saltem 1,11. Turbidum quid habeat licet; reactio est leniter acida.

Baryo nitrico et argento nitrico turbari potest. 5 alcoholis voluminibus additis, præcipitari nequit.

Incineratione ne ultra 0,50 p. c. mel cinerum relinquat.

MEL DEPURATUM.

R. Mellis	1000
Aquæ	1000

Aqua calida solve, fervefac et, si necesse sit, ope massæ chartariæ defeca; vapora et cola.

Liquor flavescens vel subfuscescens, limpidus. P. S.: 1,32 ad 1,33.

Notis puritatis gaudeat relatis verbo *Mel.*

MELISSÆ AQUA.

R. Melissæ spiritus	30
Aquæ	970
	1000

Ex tempore para.

MELISSÆ ESSENTIA.

Essentia, herbæ *Melissæ officinalis* (L.) destillatione elicita.

Liquor incolor vel flavescens, odoris peculiaris grati.

MELISSÆ FOLIUM.

Folium *Melissæ officinalis* (L.) anthesis tempore lectum.

MELISSÆ SPIRITUS.

R. Melissæ essentiæ	10
Alcoholis 80°	990
	1000

MELLITUM ESCHAROTICUM.

R. Cupri sub-acetici	5
Aceti.	7
Mellis	14

Fervefac, sub continua motione, donec miscela colorem rubrum et melleam consistentiam duxerit.

Ab aere defende.

Ad usum misce denuo.

MELLITUM ESCHAROTICUM SOLLEYSEL.

℞. Cupri sub-acetici pulveris	160
Zinci sulfurici pulveris	160
Lithargyri tenuissimi pulveris.	80
Anhydridi arsenicosi tenuissimi pulveris .	6
Mellis	660

3 priores substantias in vase ampliori calefac sub continua motione donec miscela colorem rubrum ducat; anhydridum arsenicosum optime admisce.

Ab aere defende.

Ad usum denuo commisce.

MENTHÆ AQUA.

℞. Menthæ spiritus	30
Aquæ	970
	1000

Ex tempore para.

MENTHÆ ESSENTIA.

Essentia, herbæ *Menthæ piperitæ* (L.) destillatione elicita.

Liquor incolor vel flavescens, odoris fragrantis, saporis prius urentis, dein frigescentis, æquo alcoholis volumine solubilis. P. S.: 0,900 ad 0,920.

Essentiæ menthæ 0,10 gr. si 1 c. c. acidi acetici ope solveris, et 1 guttam acidi nitrici addideris, miscela, post aliquod tempus vel leniter calefacta, colorem ducat cœruleum.

MENTHÆ FOLIUM.

Folium florentis *Menthæ piperitæ* (L.).

MENTHÆ SIRUPUS.

℞. Menthæ spiritus	30
Sirupi simplicis	970
	1000

MENTHÆ SPIRITUS.

℞. Menthæ essentiæ	10
Alcoholis 80°	990
	1000

MENTHÆ TABELLÆ.

R. Menthæ essentiæ	10
Tragacanthæ gummi	15
Acaciæ gummi.	15
Sacchari.	960
Aquæ	Q. S.

Misce et in tabellas 1 gr. divide.

MENTHOLUM.

Crystalli aciculares, incolores, odoris peculiaris, saporis prius urentis, dein frigoris sensum linquentes, aqua fere insolubiles, alcohole, æthere, chloroformio facile solubiles.

Mentholum liquescit calore 42°-43°; calore 212°, bullit.

Si mentholi 0,10 gr. solveris ope 1 gr. acidi acetici, et addideris 3 guttas acidi sulfurici et 1 guttam acidi nitrici, nullus potest color oriri.

Balneo aquæ vaporata, 0,10 gr. mentholi residuum æstimabile non relinquunt.

METHYLSULFONALUM.

Squamulæ crystallinæ, coloris et odoris expertes, liquescentes ad 76°, valde solubiles in alcohole et in æthere, solubiles in 320 partibus aquæ frigidæ, facilius in aqua calida, præbentes liquidum saporis amari et cum lacca musci neutrum.

0,10 gr. methylsulfonali, cum 0,10 gr. carbonis ligni pulveris calefacta, odorem peculiarem mercaptani spargunt.

Si 1 gr. methylsulfonali solvas in 50 c. c. aquæ bullientis, nullus percipiatur odor, et solutio refrigerata et filtrata nec baryo nitrico, nec argento nitrico præcipitetur; 10 c. c. hujus solutionis non immediate decolorent 1 guttam kalii permanganici soluti.

0,10 gr. methylsulfonali flagrant absque æstimabili residuo.

METHYLUM SALICYLICUM.

Liquor incolor, odoris fortis, aqua parum solubilis, alcohole et æthere solubilis. Calore 220° fervet. P. S.: 1,18 ad 1,19.

Si ope 50 c. c. aquæ, aliquot guttas methyli salicylici solveris, solutio, addita 1 gutta ferri sesquichlorati soluti, violacea evadet.

Index saponificationis sit saltem 360.

MINIUM.

Pulvis gravis, vivide ruber, in aqua insolubilis.

Si cum acido chlorhydrico calefacias minium, emittitur chlorum et editur præcipitatum crystallinum plumbi chlorati.

2,5 gr. minii per unum minutum agita cum 20 c. c. acidi nitrici diluti; ad dissolvendum plumbum bioxydatum ita editum, agitando adde miscelæ frigidæ aliquot guttas hydrogenii peroxydati; solutio sic obtenta omnino vel fere limpida sit; si relinquatur residuum, pondus non excedat 0,035 gr.

MORI SIRUPUS.

R. Fructus mori nigræ . . . . . Q. S.

Fructus in pulpam redige, exprime et colaturam repone in loco 20° ad 25° calido, sub plus minusve frequenti motione, donec succus filtratus, alcoholis medio volumine admixto non jam turbetur; cola et leniter exprime.

Succum fervefac et refrigeratum filtra.

R. Hujus succi	400
Sacchari	600
	1000

Solve.

Præparando mori sirupum, omnem stanni vel ferri contactum arce.

MORPHINI SIRUPUS.

R. Morphini hydrochlorici	0,50
Aquæ	9,50
Sirupi simplicis	990
	1000

MORPHINUM HYDROCHLORICUM.

Chlorhydras morphinæ.

Pulvis microcrystallinus, aut aciculæ sericeæ, albæ, odoris expertes, saporis peramari, solubiles in 25 partibus aquæ ad 15° et in circiter 50 partibus alcoholis, quæ solutiones cum lacca musci neutræ, valde solubiles in aqua bulliente.

Auge 5 c. c. solutionis aquosæ 1:30 1 gutta ferri sesquichlorati soluti; liquidum induit colorem cæruleum fugacem.

Per 15 minuta balneo aquæ calefac solutionem particulæ morphini hydrochlorici in 5 guttis acidi sulfurici, refrigera, dein adde liquido minimam partem acidi nitrici; fit coloratio sanguineo-rubra.

Si morphinum hydrochloricum trituræ cum acido sulfurico, miscela vel nullo, vel ad summum leviter rubescente colore tingatur; addita parva quantitate bismuthi sub-nitrici, fit obscure fusca.

Argentum nitricum efficit præcipitatum floccosum in solutione aquosa 1:30 morphini hydrochlorici.

5 c. c. solutionis aquosæ 1:30 adde 1 guttam kalii carbonici soluti 11:20 et fortiter conquassa; immediate vel post aliquot secundas efficitur præcipitatum crystallinum, quod in aere non coloretur, et, cum chloroformio agitatum, illud non tingit roseo colore.

Si 5 c. c. solutionis aquosæ 1:30 addas 1 guttam ammonii hydrici soluti, efficitur præcipitatum crystallinum album, quod ex toto solvatur in natrio hydrico soluto et in calcio hydrico soluto, quin hæc liquida colorentur.

10 c. c. solutionis aquosæ 1:30 adde excedens natrium hydricum solutum, dein cum æquali volumine ætheris agita; solvente omnino elimpidato, decantha ætherem, filtra illum et ad siccitatem evapora; residuum sit quasi nullum; additione acidi sulfurici et crystalluli kalii bichromici non præbeat ansam formandis striis violaceis.

Si morphinum hydrochloricum ad 100° desiccetur, deperditio ponderis 14,4 p. c. non excedat. In lamina platinea calefactum, non relinquit æstimabile residuum.

Caute servetur a luce remotum.

Si præscribatur MORPHINUM ACETICUM aut SULFURICUM, dispensetur morphinum hydrochloricum.

MYRISTICÆ ESSENTIA.

Essentia e myristicæ semine destillando elicita.

Incolor est vel flavescens, odoris et saporis peculiarium, in 3 alcoholis partibus solubilis. P. S. : 0,865 ad 0,920.

MYRISTICÆ SEMEN.

Nux moschata.

Myristicæ fragrantis (L.) nucleus integer.

MYRRHA.

Succus gommo-resinosus, sponte spissatus *balsamodendri myrrhæ* (Nees, V. E.).

Myrrha constat lacrymis discretis vel glutinatis, aut fragmentis irregularibus, luteo-cinereis vel e fusco rubris; odor ejus peculiaris, sapor amarus et acer.

Si 5 c. c. ætheris cum 1 gr. myrrhæ concusseris et filtraveris, filtratum ad bromi vaporis contactum colorem ducit violaceum.

Myrrha alcohole exhausta circa 30 p. c. sui ponderis amittit, compaginem gummosam relinquens, fragmentis prioribus consimilem.

Si exhauriatur petroleino, neque colorem ullum, neque ultra 6 p. c. sui ponderis ei cedat.

Cineres non ultra 6 p. c. incineratione relinquat.

MYRRHÆ TINCTURA.

R. Myrrhæ	200
Alcoholis 80°	1000

Fac tincturam, saltem 5 p. c. residui sicci relinquentem.

Si residuum siccum 10 gr. tincturæ cum ætheris 5 c. c. agitaveris, et filtraveris, filtratum vapore bromi violaceum ducit colorem.

NAPHTHOLUM β.

Lamellæ crystallinæ, nitentes, aut pulvis albido-flavescens, saporis urentis, parum solubilis in aqua frigida, solubilis in 75 partibus aquæ bullientis, solubilis etiam in alcohole, in æthere et in chloroformio; solvitur etiam in solutionibus alcalorum causticorum et, cum calore, in oleis; liquescit ad 122°.

Solutio aquosa naphtoli β cum lacca musci neutra est; ferro sesquichlorato aucta, viridescit et paulatim demittit floccos albos.

Quasdam particulas naphtoli β agita cum 1 c. c. kalii iodati soluti cum iodo, dein adde excedens natrium hydricum, liquidum non tingatur colore violaceo.

1 gr. naphtoli β ex integro solvatur in 50 gr. ammonii hydrici soluti: liquidum ita obtentum nonnisi leviter flavidum sit.

In lamina platinea calefactum, naphtolum β non relinquit æstimabile residuum.

Servetur a luce remotum.

NATRII BICARBONICI TABELLÆ.

R. Natrii bicarbonici.	50
Tragacanthæ gummi.	6
Sacchari.	943
Citri essentiæ	1
Aquæ	Q. S.

Misce et in tabellas 1 gr. divide.

NATRIUM ARSENICICUM.

Arsenias sodii.

Crystalli prismaticæ, decolores, solubiles in aqua, parum in alcohole.

Solutio aquosa 1:20 laccam musci cœruleo tingit colore; ope argenti nitrici efficit præcipitatum lateritio-rubrum, solubile in ammonio hydrico soluto.

Natrium arsenicicum flammæ inducit colorem flavum. Cum excedente natrio hydrico calefactum, ammoniam non emittit.

Si in capsula porcellanea parvam quantitatem natrii arsenicici pulveris extendas, et si super pulverem spargas excedens ammonium sulfuratum, pulvis nec obfuscetur, nec nigrescat.

Solutio aquosa 1:20 non mutatur aspectu, addita excedente ammonio hydrico soluto. Acidulata acido chlorhydrico, dein supersaturata acido sulfhydrico, efficit ebullitione præcipitatum primo album, postea flavum; liquidum filtratum nec ammonio hydrico soluto, nec, post additum ammonium hydricum solutum, ammonio sulfurato præcipitetur.

Ad 150° desiccatum, natrium arsenicicum 40,3 sui ponderis amittit; continet 36,85 p. c. anhydridi arsenicici, quod respondet 31,75 p. c. anhydridi arsenicosi.

Caute servandum, in lagenis bene clausis.

NATRIUM BENZOICUM.

Pulvis albus, odoris expers, saporis salsi et subdulcis, in aere immutabilis, solubilis in 2 partibus aquæ et in circiter 24 partibus alcoholis.

Solutio aquosa 1:10 neutra est aut leviter alcalina cum lacca musci; ferro sesquichlorato efficit præcipitatum flavum, acido chlorhydrico præcipitatum album crystallinum. Nec ammonio sulfurato, nec natrio carbonico, nec baryo nitrico præcipitatur.

2 volumina solutionis 1:20, 3 voluminibus alcoholis aucta et acido nitrico acidulata, non præcipitentur argento nitrico soluto.

Sub influxu caloris, natrium benzoicum liquefit, dein carbonescit et flagrat, relinquens residuum alcalinum.

NATRIUM BICARBONICUM.

Bicarbonas sodæ.

Pulvis crystallinus, albus, in aere immutabilis, odoris expers, saporis leviter lixivialis, solubilis in 12 partibus aquæ frigidæ, insolubilis in alcohole. Aqua bulliente decomponitur natrium bicarbonicum cum emissione carbonici anhydridi.

1 partem natrii bicarbonici frigide solve in 20 partibus aquæ, quin fortiter agites; hæc solutio laccam musci cœruleo tingit colore, vivide effervescit cum acidis et non præcipitatur magnesio sulfurico.

Natrium bicarbonicum flammam tingit flavo colore, quæ flamma, per laminam vitri cærulei inspecta, non permanenter appareat rubra.

In tubo clauso calefactum, non emittat ammoniam.

Solutio aquosa 1:50, acido acetico supersaturata, non efficit acido

sulfhydrico præcipitatum; nonnisi leviter turbetur baryo nitrico intra 2 minuta. Acido nitrico supersaturata, ad summum opalescit argento nitrico; non rubescit ferro sesquichlorato.

Solve calore non ultra 15°, et quin fortiter agites, 1 gr. natrii bicarbonici in 20 c. c. aquæ et adde liquido 3 guttas phenolphtaleini soluti, miscela ad summum rubescentem assumat colorem, qui disparcat, additis 0,2 c. c. acidi chlorhydrici liquoris normalis.

100 partes natrii bicarbonici, prævie per 24 horas super acidum sulfuricum desiccati, non relinquant calcinatæ ultra 63,8 partes natrii carbonici.

NATRIUM BROMATUM.

Bromuretum sodii.

Crystalli cubicæ, aut pulvis albus, crystallinus, sine odore, saporis salsi, solubilis in 1 ad 2 partibus aquæ frigidæ et in 5 partibus alcoholis.

Natrium bromatum tingit flammam colore flavo; quæ flamma, per laminam vitri cærulei inspecta, non permanenter appareat rubra.

Solutio aquosa 1 : 3 neutra sit et cum acidis non effervescat. Additione aquæ chloratæ flavescit; si hoc liquidum flavum cum pauco chloroformio agites, chloroformium rubro-fuscum assumit colorem. Cum excedente argento nitrico efficit præcipitatum, in ammonio hydrico soluto solubile.

Solutio aquosa 1 : 20, acido sulfhydrico tractata, nec coloretur, nec præcipitetur. Acido chlorhydrico prævie acidulata, nec baryo nitrico, nec acido sulfurico diluto præcipitatur; colore cæruleo non tingatur 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti.

3 gr. natrii bromati, prævie ad 100° siccati, solve in aqua et dilue ad 100 c. c.; absume 10 c. c. hujus solutionis, adde 3 guttas kalii chromici soluti et grada ope liquoris decinormalis argenti nitrici. Indiges ad summum 29,3 c. c. liquoris gradati ut miscelam tingas roseo colore persistente.

Desiccatum ad 100°, natrium bromatum ad summum 5 p. c. sui ponderis amittit.

NATRIUM CARBONICUM.

Carbonas sodæ.

Crystalla prismatica, colore carentia, pellucida, in aere fatiscentia, sine odore, saporis lixivialis, solubilia in 1,6 partibus aquæ frigidæ et in 0,2 partibus aquæ bullientis, insolubilia in alcohole.

Natrium carbonicum calore liquefit in sua aqua crystallisationis

et, sufficienti calore, omnino dehydratur, relinquendo 37 p. c. salis anhydri.

Flammæ inducit flavum colorem.

Solutio aquosa 1:20 laccam musci cæruleo et phenolphtaleinum rubro tingit colore; præcipitat magnesium sulfuricum et vehementer effervescit cum acidis. Non præcipitatur acido sulfhydrico, nec ante nec post supersaturationem acido acetico. Pauco excedente acido nitrico aucta, leviter opalescere potest argento nitrico, non autem præcipitatur baryo nitrico.

Cum natrio hydrico soluto calefactum, natrium carbonicum non emittit ammoniam.

Ad neutralisandum 1 gr. natrii carbonici, indiges ad minus 7 c. c. liquoris normalis acidi chlorhydrici.

NATRIUM CHLORATUM.

Chloruretum sodii.

Crystalla cubica, coloris expertia, saporis salsi, solubilia in 2,7 partibus aquæ frigidæ, insolubilia in alcohole absoluto; calore fatiscunt et majore calore liquescunt.

Natrium chloratum induit flammam colore flavo; per laminam vitri cærulei inspecta, hæc flamma flava nonnisi transeunter rubra appareat.

Solutio aquosa 1:20 cum lacca musci neutra est; acido nitrico acidulata, argento nitrico efficit præcipitatum album caseosum, facile solubile in ammonio carbonico. Non præcipitatur acido sulfhydrico; aucta ammonio hydrico soluto, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico, nec natrio phosphorico præcipitatur. Non turbatur baryo nitrico, nec assumit cæruleum colorem cum 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti.

NATRIUM HYDROSULFURATUM.

Sulphuretum sodii cristallisatum.

R. Natrii hydrici solutionis aquosæ. P. S. : 1,33. . Q. V.

Per aliquot minuta hanc solutionem mitte sub fluxum acidi sulfhydrici loti et sepone. Liquidum limpidum decantha et tracta acido sulfhydrico donec gazum non amplius absorbeatur. Crystallisa absque contactu aeris, crystallos recollige in infundibulum vitreum opertum et exstillatas serva in lagena bene clausa.

Crystalli decolores, aut leviter obfuscæ, solubiles in aqua, parum solubiles in alcohole, mutabiles in aere.

Solutio aquosa colore caret; cum excedente acido sulfurico diluto tractata, emittit acidum sulfhydricum, dum ad summum leviter opalescit.

NATRIUM HYPOPHOSPHOROSUM.

Hypophosphis sodæ.

Pulvis crystallinus, aut crystalli albæ, absque odore, saporis dulcis et amari, valde solubiles in aqua, solubiles in alcohole.

Si calefacias natrium hypophosphorosum in tubo clauso, decomponitur emittens hydrogenium phosphoratum sponte flagrans.

Flammam tingit flavo colore.

Solutio aquosa 1:20 neutra est aut leviter alcalina; non effervescit cum acidis et non præcipitatur acido sulfhydrico, nec calcio chlorato, nec ammonio oxalico; hoc ultimo tamen leviter turbari poterit; etiam baryo nitrico turbari poterit.

5 c. c. solutionis aquosæ 1:20 adde 1-2 guttas acidi nitrici, dein aliquot guttas argenti nitrici soluti; paulatim gignitur præcipitatum nigrum, quod calide solvatur in excedente acido nitrico; solutio ita obtenta leviter turbari poterit.

Servetur in lagenis bene clausis.

N. B. — Cave ne tritures natrium hypophosphorosum cum substantiis quæ facile reducuntur.

NATRIUM IODATUM.

Ioduretum sodii.

Pulvis albus, crystallinus, sine odore, saporis salsi et amari, deliquescens, solubilis in 0,6 partibus aquæ et in 3 partibus alcoholis.

Natrium iodatum flammam tingit flavo colore; quæ flamma per laminam vitri cærulei inspecta, non permanenter appareat rubra.

Solutio aquosa 1:5, aqua chlorata aucta, fuscum sumit colorem; si miscela agitetur cum chloroformio, illud fit violaceum.

Solutio aquosa 1:2 neutra est et cum acidis non effervescit.

Solutio aquosa 1:20 nec acido sulfhydrico, nec baryo nitrico præcipitatur. Acido chlorhydrico diluto acidulata, cæruleum non induat colorem si addantur 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti.

Solve 1 gr. natrii iodati in 10 c. c. aquæ prævie bullitæ et refrigeratæ, adde aliquot guttas amyli soluti et aliquot guttas acidi sulfurici diluti; miscela non immediate cæruleum assumat colorem.

Si calefacias 1 gr. natrii iodati cum 5 c. c. natrii hydrici et miscela 0,5 gr. ferri pulveris pro 0,5 gr. zinci pulveris, non emittatur ammonia.

Desiccatum ad 100°, natrium iodatum non ultra 5 p. c. sui ponderis amittat.

In bulbulo solve 0,2 gr. natrii iodati, ad 100° desiccati, in 2 c. c. ammonii hydrici soluti; adde 14 c. c. liquoris decinormalis argenti nitrici, fortiter agita et filtra; liquidum limpidum, acido nitrico satu-

ratum, leviter turbari poterit quin obscuretur; non autem fiat opacum intra 10 minuta.

Servetur in lagenis exsiccantibus.

NATRIUM PHOSPHORICUM.

Phosphas sodæ.

Crystalla prismatica, coloris expertia, in aere fatiscentia, saporis leviter salsi, reactionis alcalinæ, solubilia in 5,8 partibus aquæ, liquescentia calore 40°. Natrium phosphoricum flammam tingit colore flavo.

Solutio aquosa 1 : 20 efficit argento nitrico præcipitatum flavum quod non obfuscatur si calefiat. Hoc præcipitatum solvitur in acido nitrico et in ammonio hydrico soluto.

Nec acido sulfhydrico, nec ammonio sulfurato præcipitatur; cum acido nitrico non effervescit. Acido nitrico acidulata, nonnisi levissime turbetur argento nitrico, vel baryo nitrico.

Miscela 1 gr. natrii phosphorici pulveris et 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur, etiam post unam horam.

Calcinatione natrium phosphoricum circiter 62 p. c. sui ponderis amittit.

NATRIUM SALICYLICUM.

Salicylas sodæ.

Pulvis aut squamulæ crystallinæ albæ, absque odore, saporis peculiaris, solubiles in minus 1 parte aquæ et in 6 partibus alcoholis.

In tubo clauso calefactum, natrium salicylicum spargit vapores albos phenolum redolentes, et relinquit residuum carbonosum, quod cum acidis effervescit et quo flamma flavescit.

Simul ac præparatur, solutio aquosa natrii salicylici 1 : 5 colore caret et laccam musci nonnisi leviter rubefaciat.

Solutio aquosa 1 : 20 nec acido sulfhydrico, nec baryo nitrico turbetur; 2 volumina hujus solutionis, aucta 3 voluminibus alcoholis et acidulata acido nitrico, non efficiant præcipitatum argento nitrico soluto.

Misce 10 gr. acidi sulfurici et 1 gr. natrii salicylici; nec coloratio, nec notabilis effervescentia fiat.

NATRIUM SULFURICUM.

Sulphas sodæ.

Crystalla prismatica, coloris et odoris expertia, efflorescentia, saporis frigidi, solubilia in 3 partibus aquæ frigidæ, in 0,3 partibus aquæ ad 33°, et in 0,4 partibus aquæ ad 100°, insolubilia in alcohole.

Natrium sulfuricum calefactum liquefit in sua aqua crystallisationis et hanc paulatim emittit. Flammam colore flavo tingit.

Solutio aquosa 1:20 cum lacca musci neutra est; efficit baryo nitrico præcipitatum album, insolubile in acido chlorhydrico; nullum edit præcipitatum natrio hydrico, acido sulfhydrico, ammonio sulfurato, acido tartarico, aut, post additionem ammonii hydrici soluti, natrio phosphorico. Adjunctione 0,5 c. c. kalii ferrocyanati soluti non cærulescat. Acido nitrico acidulata, nonnisi leviter turbetur argento nitrico.

Miscela 1 gr. natrii sulfurici pulveris cum 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur, etiam post unam horam.

NATRIUM SULFURICUM SICCUM.

Grosse pulvera natrium sulfuricum crystallisatum et appone pulveri calorem 25°, usquedum sal efflorverit.

Tum desicca ad 40°-50°, donec amiserit dimidium circiter sui ponderis, dein succerne cribro n° 30.

OLEUM OFFICINALE.

Color olei officinalis sit debilis, item odor, item sapor; rancore omnino careat. Calore + 10° vel post 24 horas neque solidetur, neque globulos deponat glyceridorum solidorum.

Uti poteris sub nomine olei officinalis oleis nucleorum, amygdalarum, olivarum, sesami, arachidis, gossypii, maydis vel quovis alio oleo non siccativo, edibili, dummodo notis gaudeat supra relatis.

Vasi oleum continenti inscribetur olei natura.

OLIVARUM OLEUM.

Oleum e fructu *Oleæ europeæ* (L.) expressum.

Liquor pellucidus, coloris lutei pallidi vel leviter viridentis, fere inodorus, saporis dulcis; circa 0° solidatur in massam albidam ad conglobatam. P. S. : 0,915 ad 0,918.

Cum 1 volumini acidi sulfurici, volumen æquum acidi nitrici miscueris et miscelæ jam frigidæ inter conquassandum olei olivarum 1 volumen addideris, si denique 1 volumen carbonei sulfurati depurati affuderis, nullus appareat ad contactus plagam color viridis, ruber vel fuscus.

4 c. c. olei, 2 c. c. acidi nitrici fumantis et 2 c. c. aquæ si commiscueris, oleum manet incolor et, post 6 horas ad 10°, glutinatur in massam solidam, albam vel flavescentem.

Misce 2 c. c. olei, 2 c. c. alcoholis amylici et 2 c. c. carbonei sulfurati depurati 1 p. c. sulphuris soluti continentis; tubum hanc miscelam

continentem per 15 saltem minuta in aqua fervida calefac; nullus oriatur color ruber vel roseus.

Cum 10 c. c. olei vehementer conquassa 10 c. c. acidi chlorhydrici et 2 guttas alcoholis 2 p. c. furfuroli continentis; acidum, etiam post aliquot minuta, colorem rubrum ducere nequit.

Index iodi sit saltem 79 et ad summum 84. Index saponificationis non stet infra 185.

OPII ET IPECACUANHÆ PULVIS COMPOSITUS.

Vide *Ipecacuanhæ pulvis opiatus*, page 111.

OPII EXTRACTUM.

R. Opii	Q. V.
Aquæ	Q. S.

Liquores extractivos balneo aquæ ad duplum opii adhibiti pondus vaporatione contrahe; ad frigescendum et subsidendum repone; filtra et, calore non ultra 60°, ad siccum vapora. Contere et grada.

Morphini computatio. — Solve 3 gr. extracti ope 40 gr. aquæ; infunde et misce, absque conquassatione, 2 gr. liquoris ammonii hydrici normalis; omnia super chartam plicatam diametri 10 c. infunde. Collige 30 gr. filtrati et perge ut indicatur verbo *Opii pulvis.*

Pulvis cristallinus, quem pensabis, morphinum est ex 2 gr. extracti ortum. Computa rationem pro centum.

Si infra vel supra 20 p. c. inveneris adde quantum satis sacchari lactis sicci vel alterius opii extracti uberius morphino præditi.

Extractum opii sit siccum, 20 p. c. morphini contineat. Solutio aquosa leviter turbida esse potest.

Vasis siccatoribus servandum est.

OPII PULVIS.

Opii pulvis n° 30, calore non ultra 60° siccatus, continens 10 p. c. morphini.

Saccharum lactis ipsi addi potest.

Servetur vasis siccatoribus.

Morphini computatio. — In parvo mortario contere 6 gr. opii siccati et in pulverem redacti cum 6 gr. aquæ; in ampullam vitream appensam effunde, aqua pluries elue donec in ampulla opium ex toto transierit; adde aquæ quantum satis ut perficias soluti pondus 54 gr. æquans. Macera per unam horam sub frequenti conquassatione. Mixturam super chartam plicatam diametri 10 c. cola. Collige filtrati 42 gr., adde ammonii hydrici liquoris normalis 2 gr. Misce blande

absque conquassatione, et statim per chartam diametri 10 c. plicatam filtra. Collige filtrati 36 gr. in ampulla vitrea siccata et apprime pensa, adde et misce 10 c. c. ætheris acetici probe neutrius, dein liquoris ammonii hydrici normalis 4 gr. Ampullam claude, vehementer conquassa per 10 minuta, adde denuo 10 c. c. ætheris acetici ad destruendam emulsionem. Decantha quam perfectissime stratum æthereum super filtrum diametri 8 c. non plicatum; reliquo liquori adde denuo 10 c. c. ætheris acetici, leniter conquassa et denuo decantha. Liquorem ampulla vitrea contentum funde super filtrum, crystallis vitro adhærentibus non ablatis, ampullam bis elue cum 5 gr. aquæ æthere acetico saturatæ, et elutionem per idem filtrum cola. Postquam ampulla et filtrum exsudaverint, siccentur calore 100°. Crystallinum pulverem filtro insitum in ampullam expelle et denique ampullam perge siccare donec pondus idem permaneat et appende.

Pondus pulveris collectum æquivalet morphini ponderi quod revera in 4 gr. opii continetur. Unde rationem pro centum computabis.

Ad 10 p. c. rationem coges sive sacchari lactis probe sicci, si ultra 10 p. c., sive opii uberioris admixtione, si infra 10 p. c. inveneris.

Ammonium sulfomolybdænicum crystallis ita collectis additum, colorem violaceum ducere debet; in 100 gr. calcii hydrici soluti, post aliquot horas, conquassatione ex integro crystalla solvenda sunt; quæ solutio flavescens erit et fusco-rubra fiet si aqua chlorata paulatim ei admixta fuerit.

OPII SIRUPUS.

R. Opii extracti	2,5
Sirupi simplicis	997,5
	1000

Continet 0,05 p. c. morphini.

OPII SIRUPUS DILUTUS.

Diacodii sirupus. — Papaveris sirupus.

R. Opii sirupi	200
Sirupi simplicis	800
	1000

OPII TINCTURA.

R. Opii pulveris	100
Alcoholis 70°	Q. S. (1000 circiter).

Percolatione fac tincturam, quæ contineat 1 p. c. morphini.

Morphini computatio. — Balneo aquæ 50 gr. tincturæ cogantur ad 15 gr.; addatur aquæ quantum satis ut fiat pondus 38 gr., deinde

ammonii hydrici liquoris normalis 2 gr., blande misce, per chartam plicatam diametri 10 centimetrorum filtra, collige filtrati limpidi 32 gr. et ita porro, uti sub verbo *Opii pulvis*.

Pulvis crystallinus appensus morphinum est in liquoris 40 gr. contentum. Computa morphinum pro centum, et, si necesse, adde alcoholis 70° quantum satis ut tinctura 1 p. c. morphini contineat.

OPII TINCTURA BENZOICA.

Elixirium paregoricum.

R. Opii tincturæ	50
Acidi benzoici.	5
Camphoræ	3
Anetholi	2
Alcoholis 70°	940
	1000

Pharmacum istud 0,05 p. c. morphini continet.

OPII TINCTURA CROCATA.

Laudanum Sydenhami.

R. Opii extracti	50
Croci tincturæ.	150
Cinnamomi essentiæ.	1
Eugenoli	1
Alcoholis 70°	798
	1000

Solve et filtra.

Hoc pharmacum continet 1 p. c. morphini : de quo certior fies si secutus eris normam positam sub verbo *Opii tinctura*.

OPIUM.

Latex acre spissatus fructus *Papaveris somniferi* (L.).

Frequenter adfertur sub forma placentarum rotundarum vel complanatarum, variæ magnitudinis, foliis indutarum seminibusque *Rumicis* cujusdam sæpius conspersarum.

Coloris est plus minus atro-fusci, odoris virosi, saporis amari, acris et ingrati.

Opium nativum nunquam adhibetur nisi ad præparationes opii.

Si medicus præscribit « opium » semper præstabis pulverem gradatum sub verbo *Opii pulvis* descriptum.

PANIS PURGANS.

℞. Scammoniæ resinæ	0,25
Pastæ panis	Q. S.

Ad unum panem.

PAPAVERIS FRUCTUS.

Capsula *Papaveris somniferi* (L.) lecta antequam plene matura sit.

PAPAVERIS RHÆADOS EXTRACTUM FLUIDUM.

℞. Papaveris rhæados petali	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod saltem 30 p. c. residui sicci relinquat.

PAPAVERIS RHÆADOS FLOS.

Papaveris Rhœados (L.), floris petalum.

PARAFFINUM LIQUIDUM.

Liquidum oleosum, limpidum, coloris et odoris expers, non fluorescens, densitatis non infra 0,880, et ebulliens non infra 360°.

Si balneo aquæ per 10 minuta frequenter agitando calefacias 3 c. c. paraffini liquidi et 3 c. c. acidi sulfurici in vase, prævie acido sulfurico calido loto, paraffinum manet incolor et acidum nonnisi leviter obfuscatur.

Alcohol, si ebullivit cum suo volumine paraffini liquidi, non rubefaciat laccam musci.

PARAFFINUM SOLIDUM.

Massa alba, solida, odoris expers, liquescens inter 74° et 80°.

Gaudeat dotibus puritatis, in articulo *Paraffinum liquidum* indicatis.

PEPSINI VINUM.

℞. Gelatinæ	0,50
Aquæ	10

Solve calefaciendo. Adde :

Vini fortioris	1000

Misce, ad subsidendum repone et filtra.

Collige colaturæ limpidæ	950

Adde :

Pepsini	25
Aquæ	22,50
Acidi chlorhydrici	2,50

Solve et filtra.

PEPSINUM.

Pepsinum est enzyma quod notatim extrahitur ex mucosa stomachali porci et quod, in medio acido, digerit albuminam.

Chemice purum non prostat, sed sub forma maxime concentrata quasi massa amorpha, flavo-fusca, plus minusve aere humescens.

Pepsinum quod respondet titulo infra dato generatim auctum est saccharo lactis; pulvis est albus, aut ex albo flavescens, reactionis leviter acidæ, odore ingrato carens et saporis debilis.

Per 10 minuta in aqua bulliente retine ovum gallinæ recens; post refrigerationem tolle ovi album, divide illud et fricando succerne cribro n° 10. Trituratione solve 0,1 gr. pepsini in 100 gr. aquæ, 0,25 p. c. partes acidi chorhydrici continentis; solutionem infunde in bulbum capacitatis circiter 200 c. c.; adde 10 gr. albi ovi, agita et in balneum aquæ immitte ad 40°, identidem agitando; digestione facta per unam horam, album ovi solutum sit, aliquot tantummodo flocculos relinquens.

Ab humore remotum servetur, in vasis desiccantibus.

PEPTONUM.

Nomine peptoni veniunt albuminoidæ, plus minusve digesti, in aqua solubiles et non amplius coagulantes calore; peptonum venumdatur sub forma pastæ aut pulveris sicci.

Peptonum siccum, quod solum officinale est, prostat ut pulvis albus aut ex albo flavescens, levis, nullius fere odoris, saporis specialis, in aqua omni relatione solubilis, præbens solutionem neutram aut levissime acidam.

Solutio aquosa 1:20 nitide flava est, limpida, aut saltem, additis aliquot guttis acidi chlorhydrici, elimpidata; additis 2 voluminibus alcoholis, flocceum præbet præcipitatum; acido acetico, nitrico, chlorhydrico, sulfurico, sivē calore sive frigore, non præcipitatur.

Kalio ferrocyanato non præcipitatur peptonum ex solutionibus suis aquosis; acido autem metaphosphorico, phosphotungstico, tannico et picrico, hydrargyro bichlorato aut hydrargyro nitrico oxydato, hydrargyro iodato cum kalio iodato præcipitatur.

Solutioni 1 gr. peptoni in 10 c. c. aquæ adde 20 guttas natrii hydrici soluti, dein, guttatim et frequenter agitando, cuprum sulfuricum solutum; miscela primo roseo, dein violaceo tingitur colore.

Peptonum servetur ab omni humore remotum, in lagenis hermetice clausis.

PERUVIANUM BALSAMUM.

Succus resinosus *Myroxyli Pereiræ* (Kl.).

Liquidum in modum sirupi, e rubro fuscum vel atro-fuscum, in stratis tenuioribus pellucidum, odoris grati, fere vanillæ et benzoes, saporis acris et amari, in acido acetico et chloroformio ex toto solubile et in æquo alcoholis volumine.

In aere non siccessit, reactionem habet acidam, pondus specificum a 1,137 ad 1,150.

Balsami 1 partem cum 2 partibus acidi sulfurici si contriveris, massam habebis tenacem rubram, quæ, aqua fervida donec aqua non jam coloretur exhausta et refrigerata, fit resina solida, fragilis.

In vas 200 c. c. amplum pone 5 gr. balsami peruviani, 10 c. c. natrii hydrici soluti, 10 c. c. aquæ et 100 c. c. ætheris, conquassa. Ætheris, cum a subjacenti strato discesserit, sume 50 c. c. et vapora; residuum sicca et pensa. Pondus sit saltem 1,4 gr.

Residuum hoc solve 25 c. c. alcoholis, adde 25 c. c. kalii hydrici liquoris alcoholici semi-normalis; balneo aquæ per mediam horam calefac. Postquam solutio frigida erit, adde 10 guttas phenolphthaleini soluti, et retrorsum grada ope acidi chlorhydrici liquoris semi-normalis. Ad summum adhibenda erunt 13,2 c. c.

PETROLEINUM.

Liquidum ex petroleo crudo destillatione fractionata extractum.

Est decolor, non fluorescens, odoris peculiaris, ex integro volatile, insolubile in aqua, solubile in circiter 3 partibus alcoholis; facile solvitur æthere, chloroformio et benzolo. P. S.: 0,64 ad 0,67. Ebullit ad 50°-75° et non figitur ad 0°.

Misce 1 partem acidi sulfurici et 4 partes acidi nitrici fumantis, diligenter refrigera, dein agita cum 2 partibus petroleini; liquidum non obfuscetur obscure, nec spargat odorem nitrobenzoli.

Si per aliquod tempus balneo aquæ calefacias miscelam 1 c. c. petroleini et 5 c. c. argenti nitrici ammoniacalis, liquidum non obfuscetur.

Servetur loco obscuro, in lagenis bene clausis.

PHENACETINUM.

Squamulæ crystallinæ, decolores, odoris et saporis expertes, liquescentes ad 134-135, solubiles in 1400 partibus aquæ frigidæ, in 70 partibus aquæ bullientis et in 16 partibus alcoholis.

Cum acido nitrico agitatum, phenacetinum flavescit; in acido sulfurico solvitur quin coloretur.

Si per unum minutum miscela 0,20 gr. phenacetini et 2 c. c. acidi

chlorhydrici ebulliat, et si addas 20 c. c. aquæ, liquidum, post refrigerationem filtratum, additis 6 guttis acidi chromici soluti 3:100, rubescit ut carbunculus.

Solutum aquosum frigide saturatum, cum lacca musci neutrum est; nullatenus turbatur additione excedentis aquæ bromatæ et non rubescit ferro sesquichlorato.

0,10 gr. phenacetini comburuntur quin relinquant residuum.

PHENOLI UNGUENTUM.

Acidi carbolici unguentum.

R. Acidi carbolici	50
. Unguenti simplicis	950
	1000

PHENOLUM SALICYLICUM.

Pulvis crystallinus, albus, odoris leviter aromatici et saporis debilis, liquescens ad 42°, fere insolubilis in aqua, solubilis in 10 partibus alcoholis, in 0,3 partibus ætheris aut chloroformii, solubilis etiam in oleis, in essentiis et variis hydrocarburetis.

Solutio alcoholica phenoli salicylici laccam musci non rubefaciat; cum ferro sesquichlorato soluto, vicesies suo pondere aquæ diluto induit colorem violaceum.

Cum natrio hydrico soluto calefactum, phenolum salicylicum decomponitur; additione excedentis acidi chlorhydrici, deponitur acidum salicylicum et spargitur odor phenoli.

Filtratum quod obtinetur si agitaveris 1 gr. phenoli salicylici cum 50 partibus aquæ, non coloretur una gutta ferri sesquichlorati soluti, nec præcipetur argento nitrico aut baryo nitrico.

0,10 gr. phenoli salicylici comburuntur quin relinquant residuum.

PHOSPHORATUM OLEUM.

R. Phosphori	1
Olei amygdalarum	99

Oleum calore 150° in capsula calefac per 5 minuta; ad frigescendum depone et in ampullam vitream immitte. Adde phosphorum in 5 partibus carbonei sulfurati depurati jam solutum. Balneo aquæ carboneum sulfuratum expelle.

Servetur procul a luce, lagenis probe clausis.

PHOSPHORUS.

Massa alba aut flavescens, translucida, instar ceræ renitens, in aqua insolubilis, facile solubilis in carboneo sulfurato, parum vero in

alcohole in æthere, in oleis et in essentiis. Aquæ innatans, phosphorus liquescit ad 44°. In aere odorem alliaceum spargit et emittit fumos albos, in loco obscuro lucentes et facillime inflammabiles. Servatum rubescit.

Servetur sub aqua, in vasculis optime clausis et arena circumdatis.

PHYSOSTIGMINUM SALICYLICUM.

Eserinum salicylicum.

Aciculæ decolores aut subflavescentes, nitidæ, lente solubiles in 85 partibus aquæ, solubiles in 12 partibus alcoholis, et quæ comburuntur quin relinquant æstimabile residuum.

Solutio aquosa 1 : 100 violaceo tingitur colore ferro sesquichlorato; turbatur additione kalii iodati soluti cum iodo; non immediate rubefaciat laccam musci.

Acidum sulfuricum non immediate colorat physostigminum salicylicum, sed paulatim miscela flavescit.

Aliquot crystallis physostigmini salicylici adde 2 ad 3 c. c. ammonii hydrici soluti et calefac balneo aquæ in parva capsula porcellanea; liquidum sumit colorem ex flavo obfuscum et relinquit, post evaporationem, residuum cœruleum, quod, cum alcohole tractatum, generat liquidum ejusdem coloris. Hæc solutio, excedente acido acetico diluto aucta, rubescit et fluorescit.

Physostigminum salicylicum apprime siccum diutissime servari potest quin coloretur. Solutiones ejus aquosæ et alcoholicæ cito rubescunt, etiam lumine diffuso.

Servetur a luce et humiditate remotum.

PICIS AQUA.

R. Picis liquidæ	100
Natrii bicarbonici	20
Aquæ	1000

Calore 30° ad 40° mixturam repone ad tres dies, interdum spathula lignea movendo; decantha et filtra.

PICIS UNGUENTUM.

R. Picis liquidæ	200
Unguenti simplicis	800
	1000

PILOCARPINUM HYDROCHLORICUM.

Crystalli decolores, aere humescentes, odoris nullius, saporis leviter amari, valde solubiles in aqua et in alcohole, parum solubiles in æthere et in chloroformio, liquescentes ad 193°-195°.

Acidum sulfuricum non coloratur contactu pilocarpini hydrochlorici.

Miscela partium æqualium pilocarpini hydrochlorici et hydrargyri monochlorati nigrescit, si ope alcoholis 70° humectetur.

Solutio aquosa 1:100 acide reagit; præcipitatur aqua bromata, hydrargyro bichlorato et argento nitrico. Nec ammonio hydrico soluto, nec kalio bichromico turbatur.

In lamina platinea calefactum, pilocarpinum hydrochloricum non relinquit æstimabile residuum.

Servetur in lagenis bene clausis, loco obscuro.

PILULÆ.

1° Nisi aliter notetur, pilulæ parentur ponderis 0,20 gr.;

2° Substantiæ ad parandas pilulas adhibendæ perfecte misceantur. Excipientis idonei ope, massa fictilis paretur satis firma ne pilulæ suo pondere desidant;

3° Si dosis medicaminum præscriptorum levior est, pondus compleatur substantiis inactivis, ut sunt : liquiritiæ pulvis, saccharum, saccharum lactis, bolus alba, etc.;

4° Excipientia adhibenda ut massæ pilulariæ idoneam consistentiam ducant sunt, pro mixturis fluidioribus : liquiritiæ pulvis, saccharum, saccharum lactis, amylum, etc., pro mixturis pulverulentis, resinosis vel firmioribus : sirupus simplex, mel, sapo officinalis, miscela aquæ et glycerini parte æquali, graminis extractum, gentianæ extractum, acaciæ gummi mucilago, tragacanthæ gummi mucilago, etc.;

5° Apparatus ad parandas pilulas adhibiti ii sint quibus medicaminum substantia non sensim modificetur;

6° Pilularum pondus sit quam maxime æquum, et dosis medicaminis eadem;

7° Pilulæ serventur sive nudæ, sive pulvere inerti involutæ, uti liquiritæ pulvere, lycopodio, talco, etc., sive illitæ argento, saccharo, resina, balsamo tolutano, gelatina, etc.

PIPERIS FRUCTUS.

Piperis nigri (L.), bacca nondum matura.

PIX BURGUNDICA.

Plurium specierum generis *Pinus* resina seu terebinthina sponte spissata, fusione depurata.

Massa resinosa, flavo-fusca, solida et fragilis dum frigida, manus calore mollescens, balneo aquæ fusibilis, alcohole fere ex integro solubilis.

PIX LIQUIDA.

Partes volatiles graviores liquidi quod e ligno quarumdam abietinarum via sicca destillato, oritur.

Liquor spissus, aqua gravior, atro-fuscus, in stratis tenuioribus pellucidus, odoris empyreumatici et saporis acris, solubilis alcohole, acido acetico, oleis unguinosis, essentiis, chloroformio et æthere.

10 partes aquæ cum 1 parte picis liquidæ conquassatæ subflavum ducunt colorem et reactionem acidam; 2 guttis ferri sesquichlorati soluti additis, colorem viridem fugacem ducunt.

PLUMBI SUB-ACETICI AQUA.

Goulardi aqua.

℞. Plumbi sub-acetici	20
Alcoholis	30
Aquæ	950
	1000

PLUMBI SUB-ACETICI UNGUENTUM.

Unguentum sub-acetatis plumbi.

℞. Plumbi sub-acetici soluti	300
Unguenti simplicis	700
	1000

PLUMBUM ACETICUM.

Acetas plumbi.

Crystalla prismatica, coloris expertia, pellucida, leviter efflorescentia, solubilia in circiter 2 ad 3 partibus aquæ, et in circiter 30 partibus alcoholis, in aere debilem odorem acidi acetici spargentia.

Solutio aquosa plumbi acetici 1 : 10 leviter turbida esse potest, sed, additis aliquot guttis acidi acetici, omnino elimpidari debet.

Habet saporem sacchari, adstringentem et metallicum; laccam musci rubefacit. Acido sulfurico diluto edit præcipitatum album, quod solvitur in ammonio tartarico soluto cum ammonio hydrico.

Efficit præcipitatum nigrum acido sulfhydrico; acido sulfhydrico supersaturata et filtrata, non relinquit evaporatione æstimabile residuum.

1 gr. plumbi acetici, cum 5 c. c. ammonii hydrici soluti tractatum, deponit sedimentum quod sit album; liquidum innatans non sit aperte cæruleum.

Caute servetur in lagenis bene clausis.

PLUMBUM SUB-ACETICUM SOLUTUM.

Sub-acetatis plumbi liquor.

R. Plumbi acetici.	3
Lithargyri pulveris	1
Aquæ	10

Lithargyrum cum plumbo acetico tritura; miscelam immitte in capsulam et agitando calefac balneo aquæ, donec massa liquescens nonnisi debilem habeat colorem roseum. Tunc per partes successivas adde aquam bullientem et perge calefaciendo balneo aquæ, constanter agitando per aliquot minuta. Sine sedimentum deponatur in vase operto et filtra.

Liquidum limpidum, incolor, saporis saccharati, adstringentis et metallici, ponderis specifici 1,24, laccam musci cœruleo tingens colore.

Ferrum sesquichloratum solutum cum ipso efficit præcipitatum album, solubile in aqua bulliente; liquor vero innatans rubescit.

In aere, plumbum sub-aceticum solutum turbatur; manet limpidum si aquæ prævie bullitæ misceatur, aut si æquali volumine alcoholis augeatur.

Cum excedente ammonio hydrico soluto tractatum, efficiat præcipitatum album et liquidum innatans careat colore.

Caute servetur.

PODOPHYLLI RHIZOMA.

Podophylli peltati (L.) rhizoma cum radicibus.

Frustulis constat 5 ad 15 centim. longis, 5 ad 10 millim. crassis; ad noda ejus depressa radices insertæ sunt, rhizomati parallelæ.

Extus fuscum est, intus album, farinulentum.

PODOPHYLLINUM.

Podophylli pulverem alcohole exhauri; liquores vapora ad sirupi consistentiam; residuum funde in decuplex pondus aquæ, cui 1,5 p. c. acidi chlorhydrici addidisti, et commisce. Præcipitatum collectum aqua elue; calore non excedente 35° exsicca.

Massa vel pulvis flavescens, odoris peculiaris, saporis acris et amari, aqua fere insolubilis, in 10 partibus alcoholis et in natrio aut kalio hydrico soluto solubilis, æthere et carboneo sulfurato incomplete solubilis.

POLYGALÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Polygalæ radicis	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod saltem 25 p. c. residui sicci relinquat.

POLYGALÆ INFUSUM.

R. Polygalæ extracti fluidi.	30
Aquæ	970
	1000

Misce et filtra.

POLYGALÆ RADIX.

Polygalæ senegæ (L.) radix (radix principalis, ejus caput nodosum et radiculæ).

Polygalæ pulverem crassiorem æthere extrahe, ætherem lenissimo calore vapora : invenies residuum unguinosum, resinosum, et solutionem aquosam, quæ, ferro sesquichlorato addito, colorem violaceum ducet.

POLYGALÆ SIRUPUS.

R. Polygalæ extracti fluidi.	50
Sirupi simplicis	950
	1000

POLYGALÆ TINCTURA.

R. Polygalæ radicis	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam, quæ saltem 5 p. c. residui sicci relinquat.

POTIO ALCOHOLISATA.

Potio Todd.

R. Alcoholis	150
Aquæ	600
Sirupi simplicis	200
Cinnamomi tincturæ	50
	1000

POTIO MUCILAGINOSA

Potio pectoralis.

R. Aurantii florum aquæ	50
Sirupi simplicis	150
Acaciæ gummi mucilaginis.	800
	1000

POTIO RIVIERI.

R. Kalii bicarbonici	4 gr.
Sirupi simplicis	20 »
Aquæ	76 »

Solve et lagenæ inscribe : Potio nº I.

R. Acidi citrici	4 gr.
Acidi citrici sirupi	20 »
Aquæ	76 »

Solve et lagenæ inscribe : Potio nº II.

PULVERES.

1º Medicamenta ad pulveres parandos adhibenda, bona sint et Pharmacopææ legibus consentanea.

2º Medicamina vegetabilia concidantur, contundantur, molentur, etc. et calore circa 50º siccentur.

3º Vasis, in quibus pulveres efficiuntur, ne quidquam naturæ vel aspectus medicamenti immutetur.

4º Pulveres grossiores, ad opus officinale adhibendi cribrentur; farinæ, pulveres semi-tenues, tenues vel tenuissimi, incernentur ut dicetur tabula infra relata.

5º Substantiæ texturæ concordis contundentur absque residuo; substantiæ vegetales texturæ fibrosæ extenuabuntur usquedum fibrillæ tantum cribro hæreant. Cribrata medicamina sedulo misceantur.

6º Quædam substantiæ in pulverem impalpabilem levigando redigendæ sunt uti acidum arsenicosum, hydrargyrum oxydatum, stibium sulfuratum nigrum.

7º Substantiæ molles vel elasticæ (asa fœtida, ammoniacum gummi, vanilla, etc.) ut facilius conterantur, substantiæ inerti misceri possunt, uti amylo, vel saccharo, etc. Harum substantiarum natura et quantum titulo inscribantur.

8º Ad parandos pulveres compositos, pulveres intime misce et cribra.

9º Pulveres ab humore et luce defendantur.

TABULA SUBTILITATIS QUA GAUDERE DEBENT PULVERES.

Pulveres grossiores præbent cribra quibus per longitudinis centimetrum 2,3 vel 5 maculæ sunt, et quibus nomina sunt respective : cribrum nº 2, nº 3 vel nº 5.

Farinas præbet cribrum nº 10, cui per centimetri longitudinem 10 maculæ numerantur : sic efficiuntur farinæ lini et sinapis.

Pulveres semi-tenues excernentur cribro n° 20, cui per centimetri longitudinem 20 maculæ sunt.

Sic parantur pulveres :

Anisi fructus.	Cubebæ fructus.
Capsici fructus.	Cumini fructus.
Cinæ flos.	Fœniculi fructus.
Coriandri fructus	Juniperi fructus.
Cousso flos	Staphysagriæ semen.

Pulveres tenues præbet cribrum n° 30, cui 30 maculæ sunt per longitudinis centimetrum.

Sic parabis plerosque medicinales pulveres; hæc tenuitas convenit salibus et acidis; plane requiritur, pro quibusdam pharmacis magni momenti ut sunt :

Cantharis.	Filicis rhizoma.
Cascaræ sagradæ cortex.	Gentianæ radix.
Chinæ cortex.	Opium.
Cinnamomi cortex.	Valerianæ radix.
Columbo radix.	Zingiberis rhizoma.

Pulveres tenuissimi cribrum prætereunt n° 40 cui 40 maculæ numerantur per longitudinis centimetrum. Ita parantur pulveres :

Acidum boricum.	Rhei radix
Amylum.	Salep tuber.
Crocus.	Scillæ bulbus.
Digitalis folium.	Sennæ folium.
Ipecacuanhæ radix.	Strychni semen.
Jalappæ tuber.	Tartarus stibiatus.
Liquiritiæ radix.	Tragacanthæ gummi.

PULVIS ANTIASTHMATICUS.

℞. Belladonnæ folii pulveris n° 20	400
Stramonii folii pulveris n° 20	250
Opii pulveris	50
Kalii nitrici	300
	1000

Ab humore defendatur.

PULVIS CAUSTICUS.

℞. Kalii hydrici	50
Calcii oxydati	50

Mortario ferreo calido contere seorsim et celeriter; dein misce et ab humore serva.

Ad usum, modico alcohole in pastam mollem redigatur.

PULVIS EFFERVESCENS.

I. R.	Natrii bicarbonici pulveris	2 gr.
II. R.	Acidi tartarici pulveris	1,5 gr.

Chartis diversi coloris disjunctis include.

PULVIS LAXANS EFFERVESCENS.

I. R.	Kalii-natrii tartarici	8 gr.
	Natrii bicarbonici	2 gr.

Misce.

II. R.	Acidi tartarici	1,5 gr.

Chartis diversi coloris disjunctis include.

PYROXYLINUM.

R.	Acidi nitrici	400
	Acidi sulfurici.	1000
	Gossypii depurati.	55

Acida misce; cum frigeraverint (20°), adde gossypium; repone per 24 horas, calore 15°-20°. Massam infundibulo positam per 24 horas stillare sine; aqua eluc donec reactio acida cesset; pyroxylinum exprime et calore non excedente 25° sicca.

PYROXYLINUM SOLUTUM.

R.	Pyroxylini	40
	Alcoholis	100
	Ætheris.	800
	Ricini olei	60
		1000

QUASSIÆ EXTRACTUM.

R.	Quassiæ ligni	Q. V.
	Aquæ	Q. S.

Fac extractum siccum.

QUASSIÆ LIGNUM.

Lignum *Quassiæ amaræ* (L.) et *Picrænæ excelsæ* (Lindley).

Frustulis plerumqué constat vel levibus assulis, coloris ex albo flavescentis, saporis amarissimi.

QUASSIÆ TINCTURA.

R. Quassiæ ligni	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 0,3 p. c. residui sicci relinquat.

RATANHIÆ EXTRACTUM.

R Ratanhiæ radicis	Q. V.
Aquæ	Q. S.

Fac extractum siccum.

RATANHIÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Ratanhiæ radicis	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum quod 30 p. c. residui sicci relinquat.

RATANHIÆ RADIX.

Radix *Krameriæ triandræ* (Ruiz et Pavon).

Cortice constat rubro-fusco, rugoso, rimoso, amaro, adstringente et ligno pallidiori, denso, insipido.

RATANHIÆ SIRUPUS.

R. Ratanhiæ extracti fluidi.	100
Sirupi simplicis	900
	1000

RATANHIÆ TINCTURA.

R. Ratanhiæ radicis	200
Alcoholis 60°.	1000

Fac tincturam quæ saltem 6 p. c. residui sicci relinquat.

RESORCINUM.

Crystalli nullius aut leviter rosei coloris, odorem peculiarem emittentes, saporis saccharati, amari et acris, solubiles in circiter 1 parte aquæ, in alcohole, in æthere et in glycerino, minus solubiles in chloroformio et in carbonco sulfurato.

Resorcinum liquescit ad 111°-112°, majore calore sublimatur et, in lamina platinea calefactum, non relinquit residuum.

Solutio aquosa 1 : 20 nullius vel ad summum flavescentis sit coloris;

paulo acida est, ferro sesquichlorato cærulescit et cum plumbo sub-acetico soluto efficit præcipitatum album.

Miscela 0,05 gr. resorcini et 0,10 gr. acidi tartarici, calefacta cum 10 guttis acidi sulfurici, efficit liquidum minio-rubrum obscurum.

Servetur a luce remotum.

RHAMNI CATHARTICÆ FRUCTUS.

Rhamni catharticæ (L.) fructus maturus.

Recens adhibeatur.

RHAMNI CATHARTICÆ SIRUPUS.

R. Rhamni fructus.	Q. S.

Paretur ut *Mori sirupus*.

RHEI EXTRACTUM.

R. Rhei radicis.	Q. V.
Alcoholis 60°	Q. S.

Fac extractum siccum.

RHEI EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Rhei radicis.	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod saltem 30 p. c. residui sicci relinquat.

RHEI INFUSUM ALCALINUM.

R. Rhei extracti fluidi.	100
Kalii carbonici	10
Cinnamomi aquæ	890
	1000

RHEI RADIX.

Radix et rhizoma cortice privata diversarum varietatum *Rhei officinalis* (Baillon).

Fragmentis adfertur densis, texturæ compactæ, in quorum superficie apparent lineæ atro-fuscæ quæ sunt radii medullares, formæ sæpius rhomboideæ. In sectione, stellæ certis sedibus apparent radiis medullaribus constantes. Rhei fragmenta interne ad marmoris instar, striis rubris et albis dense intricatis adornantur.

Pulveris rhei 0,20 gr. si per aliquot minuta cum ammonii hydrici soluti 10 guttis contrivris, aquæ dein 500 gr. addideris et filtraveris, solutio erit e luteo rubescens.

RHEI SIRUPUS.

R. Rhei extracti fluidi	50
Kalii carbonici	5
Cinnamomi aquæ	30
Sirupi simplicis.	915
	1000

RHEI TINCTURA.

R. Rhei radicis	200
Alcoholis 60°	1000

Fac tincturam quæ saltem 6 p. c. residui sicci relinquat.

RHEI VINUM.

R. Rhei extracti fluidi	50
Vini fortioris	950
	1000

RIBIS SIRUPUS.

R. Ribis rubræ fructuum	20
Cerasorum rubrorum acidorum	2
Cerasorum nigrorum	1

Paretur ut *Mori sirupus.*

RICINI OLEUM.

E seminibus *Ricini communis* (L.) extractum oleum.

Limpidum est, viscosum, incolor vel pallidius luteum, inodorum, saporis dulcis; alcoholis 3 partibus solvitur, alcohole absoluto et acido acetico quavis proportione solvitur, solutiones præbens limpidas. Circa 0° glebulæ aliquot subsidere possunt; circa — 18° in massam albam, butyraceam congelatur. P. S. : 0,950 ad 0,970.

Si 3 c. c. olei ricini, 3 c. c. carbonei sulfurati depurati et 1 c. c. acidi sulfurici per aliquot minuta concusseris, mixtura colorem atrofuscum ducere nequit.

RORISMARINI ESSENTIA.

Essentia foliorum *Rorismarini officinalis* (L.) destillatione elicita.

Liquor incolor vel flavescens, odoris fragrantis peculiaris, saporis aromatici, frigoris sensu afficiens, alcoholis semipondere solubilis. P. S. : 0,900 ad 0,920.

RORISMARINI FOLIUM.

Rorismarini officinalis (L.) folium, tempore anthesis lectum.

ROSÆ AQUA.

R. Rosæ essentiæ	0,30
Aquæ calidæ	1000

Misce essentiam et aquam calidam; conquassa vehementer per aliquod tempus; postquam frigida erit, filtra.

ROSÆ ESSENTIA.

Essentia destillatione petalorum plurium rosæ varietatum elicita.

Massa crystallina, ex albo flavescens, odoris fragrantis grati, sapore acuta, æquo chloroformii volumine solubilis, e quo partim præcipitatur alcohole valde excedente.

Si essentiam rosæ prius liquefactam ad 18°-21° frigeraveris, crystalla acicularia vel lamellaria, pellucida secernentur.

ROSÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Rosæ petali.	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod saltem 22 p. c. residui sicci relinquat.

ROSÆ FLOS.

Petalum rubro-purpureum *Rosæ gallicæ* (L.) antequam aperiatur, lectum.

ROSÆ SIRUPUS.

R. Rosæ extracti fluidi	100
Sirupi simplicis	900
	1000

Quotiescumque præscribetur MEL ROSATUM, hunc præstabis sirupum.

RUBI IDÆI SIRUPUS.

R. Fragorum idæorum.	4
Cerasorum rubrorum acidorum	1
Cerasorum nigrorum	1

Paretur ut *Mori sirupus*.

RUTÆ ESSENTIA.

Essentia herbæ *Rutæ graveolentis* (L.) destillatione elicita.

Liquor incolor vel flavescens, odoris fragrantis proprii, in 2 ad 3 alcoholis 70° partibus solubilis. P. S. : 0,833 ad 0,840.

Refrigerata, rutæ essentia congelatur circa 8° ad 10°.

SABINÆ ESSENTIA.

Essentia e summitatibus recentibus *Juniperi sabinæ* (L.), destillatione elicita.

Liquor incolor vel flavescens, odoris ingrati, saporis acuti et amari, alcoholis semipondere solubilis. P. S. : 0,910 ad 0,930.

SABINÆ SUMMITAS.

Juniperi sabinæ (L.) ramorum summitates.

SACCHARINUM.

Pulvis albus, odoris expers, saporis valde saccharati, parum solubilis in aqua, valde solubilis in aqua alcalinata, solubilis in alcohole et in æthere, insolubilis in chloroformio. Liquescit ad 200° et comburitur quin relinquat residuum. Non reducit cuprum tartaricum natronatum solutum.

Solutio 0,1 gr. saccharini in litro aquæ aperte saccharum sapit.

Si ad 250° calefacias miscelam 0,05 gr. saccharini et 2 gr. natrii hydrici et si per aliquod tempus miscelam liquescentem teneas, generatur natrium salicylicum; hanc substantiam fusam solve in aqua, solutionem supersatura acido sulfurico diluto et cum chloroformio agita. Liquidum chloroformicum decanthatum et filtratum agita cum suo volumine aquæ, guttula ferri sesquichlorati soluti aucto; solutio aquosa colorem induit obscure violaceum.

Ad liquescentiam calefac miscelam saccharini et natrii carbonici ac nitrici; solve in aqua et supersatura acido chlorhydrico; hæc solutio edit baryo nitrico præcipitatum album.

SACCHAROLATA GRANULATA.

Saccharolata granulata constant e sacchari particulis satis regularibus, plus minusve crassis, uno vel pluribus medicaminibus imbutis vel illitis.

Quantam vim medicaminosam possideant, titulo inscribatur : nisi aliter notetur, tenor ille erit 5 p. c.

Ad paranda granulata, medicamentum solvatur vel diluatur alcohole (extracta alcoholica, resinæ, essentiæ, etc.) vel sirupo simplici

(sales, pulveres vegetabiles, ect.). Sacchari granula æquali modo miscela imbuantur et siccentur.

Ab humore defendantur.

SACCHARUM.

Frusta crystallina alba, aut pulvis crystallinus albus.

2 partes sacchari edunt cum 1 parte aquæ sirupum limpidum, decolorem, saporis saccharati, omni relatione cum alcohole miscibilem.

Solutiones aquosæ et alcoholicæ sacchari cum lacca musci neutræ sunt.

Solutio aquosa 1:20 acido sulfhydrico non turbatur; ammonio oxalico, argento nitrico et baryo nitrico nonnisi leviter turbetur.

Incineratione 0,50 gr. sacchari non relinquant æstimabile residuum.

SACCHARUM LACTIS.

Pulvis cristallinus, albus, inodorus, humorem non trahens, saporis leviter dulcis, aquæ frigidæ 7 partibus, fervidæ 1 parte solubilis.

Cuprum tartaricum natronatum solutum calidum reducit.

Misce sacchari lactis pulveris 15 gr. cum 50 c. c. alcoholis 70°, sæpius conquassa per semi-horam et filtra; filtrati 10 c. c. cum æquo volumine alcoholis absoluti mixta neque turbari possunt, neque, post vaporationem, residuum siccum ultra 0,04 gr. relinquere.

Incinerata 0,20 gr. sacchari lactis non relinquant æstimabile residuum.

SAL CAROLINUM FACTITIUM.

R. Natrii sulfurici sicci	440
Natrii bicarbonici	360
Natrii chlorati.	180
Kalii sulfurici.	20
	1000

Pulvis albus, siccus.

Si 6 gr. pulveris istius aquæ litro solveris, aquam mineralem Carolinæ similem habebis.

SALEP TUBER.

Tuber quod præbent variæ orchideæ, *Orchis* nempe *Morio* (L.), *Orchis mascula* (L.) et *Orchis militaris* (L.).

Parvum est, subglobosum vel ovatum, ponderosum, corneum, externe cinereo flavum vel cinereo fuscum, odoris debilis, saporis mucilaginosi.

Pulveris salep 1 pars cum aquæ 50 partibus decocta mucilaginem præbeat spissam, saporis et coloris fere expertem.

SAMBUCI FLOS.

Sambuci nigræ (L.) flos ex albo flavescens, pedunculo privatus.

SAMBUCI SIRUPUS.

R. Sambuci baccæ	Q. S.

Paretur ut *Mori sirupus*.

SANTALI ESSENTIA.

Essentia e ligno *Santali albi* (L.) destillatione elicita.

Liquor satis spissus, ex albo flavescens, odoris grati, saporis leviter amari. P. S. : 0,975 ad 0,985.

Essentia santali bullit inter 275° et 295°. In 5 partibus alcoholis 70° ex integro solvi debet. Essentia contineat saltem 90 p. c. santaloli.

Per circa sesqui-horam leniter coque 10 gr. essentiæ, cum 10 gr. anhydri acetici et pauco natrio acetico sicco et fuso. Miscelæ jam frigidæ adde parum aquæ, et balneo aquæ per 10 ad 15 minuta calefac; sine ut iterum frigescat, in ampullam separatoriam immitte, aquam separa et substantiam oleosam aqua elue, et natrio sulfurico combusto ejus humorem sicca. In ampulla ex imo plana appende 5 gr. liquoris aqua privati. Adde 40 c. c. kalii hydrici liquoris alcoholici normalis, per horam coque, vapores densatos apparatu frigerante reducens. Liquori adde 2 guttas phenolphtaleini soluti et acidi chlorhydrici liquoris normalis quantum satis ut color evanescat. Acidi normalis ad summum 22,5 c. c. et saltem 20,9 c. c. adhibenda erunt.

SANTONINI TABELLÆ.

R. Santonini	25
Tragacanthæ gummi	5
Sacchari	970
Aquæ	Q. S.

Misce et in tabellas 1 gr. divide.

Singulæ tabellæ continent 25 milligr. santonini.

Serventur procul a luce.

SANTONINI TABELLÆ CUM CHOCOLATA.

R. Santonini	25
Chocolatæ.	1975
	2000

Misce et in tabellas 2 gr. divide.

SANTONINUM.

Santonina.

Parvæ crystalli, coloris et odoris expertes, saporis amari, vix solubiles in aqua frigida, solubiles in 44 partibus alcoholis, præbentes solutiones cum lacca musci neutras, solubiles in 4 partibus chloroformii. In aere, santoninum paulatim flavescit.

Liquescit ad 170°; in lamina platinea calefactum, comburitur quin relinquat residuum.

Particula santonini, fragmento natrii hydrici, alcohole humectati apposito, natrium hydricum rubefacit.

Non immediate coloratur santoninum, quando acido sulfurico aut acido nitrico aspergitur.

1 partem santonini ad ebullitionem tracta 100 partibus aquæ, auctis 10 partibus acidi sulfurici diluti; caute refrigera, dein post aliquod tempus, filtra. Liquidum filtratum, cujus vix percipitur amaritudo, nec kalio iodato soluto cum iodio, nec hydrargyro iodato cum kalio iodato præcipitatur.

Caute servetur a luce remotum.

SAPO KALINUS.

Oritur saponificatione olei variorum seminum, ope kalii hydrici.

Fuscus est vel viridis, pellucidus, mollis, unguinosus; solvitur aqua et alcoholis 5 partibus absque residuo notabili.

Calore 100° siccatus, nullum oleum cedat carboneo sulfurato depurato.

Humoris non ultra 40 p. c. contineat.

SAPO OFFICINALIS.

Paratur saponificatione olei olivarum, ope natrii hydrici.

Sapo officinalis est albus, omni ingrato odore expers, aqua et alcohole solubilis.

Calore 100° siccatus, nullum carboneo sulfurato depurato oleum cedat.

Saponis alcoholica solutio 1:10 phenolphtaleini soluti gutta una, nullum ducat colorem; acido sulfhydrico nullum præcipitatum præbeat.

Humoris ne ultra 20 p. c. contineat.

SAPO STEARINICUS.

Oritur saponificatione sebi ope natrii hydrici.

Est albus, odoris ingrati expers; solvitur aqua et 10 partibus alcoholis, absque apparenti residuo.

Puritatis signa cætera præbeat verbo *Sapo officinalis* relata.

SAPONIS EMPLASTRUM CAMPHORATUM.

R. Emplastri simplicis	750
Ceræ flavæ	100
Saponis officinalis	100
Olei officinalis.	30
Camphoræ	20
	1000

Ceram et emplastrum simplex balneo aquæ liquefac; saponem in pulverem redactum immitte; miscelæ semi-frigidæ camphoram cum oleo contritam adde. Probe commisce.

SAPONIS SPIRITUS.

R. Saponis officinalis	200
Alcoholis 60°	795
Lavendulæ essentiæ	5
	1000

SARSAPARILLÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Sarsaparillæ radicis	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum, quod saltem 15 p c. residui sicci relinquat.

SARSAPARILLÆ RADIX.

Radix adventitia, fissa et secta, variarum specierum generis *Smilacis*.

SARSAPARILLÆ SIRUPUS COMPOSITUS.

R. Sarsaparillæ extracti fluidi.	150
Liquiritiæ extracti fluidi	10
Sennæ extracti fluidi	30
Anisi spiritus	10
Sirupi simplicis	800
	1000

SCAMMONIÆ RESINA.

Extractum alcoholicum radicis vel gummi-resinæ *Convolvuli scammoniæ* (L.), postquam aqua exhaustæ fuerint.

Massa subfusca, friabilis, fracturæ nitidæ, fere pellucida, odoris et saporis fere nullius, solubilis alcohole, æthere, chloroformio, insolubilis carboneo sulfurato.

Solutio scammoniæ resinæ in natrio hydrico soluto si acido supersaturatur nullum præbet præcipitatum.

SCAMMONIÆ TABELLÆ CUM CHOCOLATA.

R. Scammoniæ resinæ.	200
Chocolatæ.	1800
	2000

Misce et in tabellas 2 gr. divide.

SCILLÆ ACETUM.

R. Scillæ bulbi	100
Alcoholis	100
Aceti	900

Per triduum macera; cola absque expressione, et postquam subsederit, filtra.

Acetum scillæ saltem 6 p. c. residui sicci relinquat.

SCILLÆ BULBUS.

Urgineæ scillæ (Steinheil) bulbi squama media.

Est valde hygroscopica; plerumque adfertur in parva lora cornea secata, coloris ex albo flavescentis, vel rosei, aliquot millimetra crassa, saporis amari et injucundi.

Vasis siccatoribus servetur.

SCILLÆ EXTRACTUM.

R. Scillæ bulbi.	Q. V.
Alcoholis 70°	Q. S.

Vapora liquores extractivos calore non ultra 60° et fac extractum siccum.

SCILLÆ TINCTURA.

R. Scillæ bulbi	200
Alcoholis 70°	1000

Fac tincturam quæ saltem 10 p. c. residui sicci relinquat.

SECALE CORNUTUM.

Sclerotium, quod præbet *Claviceps purpurea* (Tulasne), de *Secalis cerealis* spica fere matura lectum.

Longum est 2 ad 4 centim., crassum 2 ad 6 millim., cylindricum vel prismaticum, apice attenuatum, leviter curvum, sæpius uno vel pluribus sulcis per longitudinem notatum.

Externe fusco-violaceum, interne album, odoris fere expers, saporis ingrati.

Secale cornutum siccetur infra 40°, et servetur vase siccatorio et procul a luce.

Renovetur quoquo anno.

SECALIS CORNUTI EXTRACTUM.

R.	Secalis cornuti pulveris n° 20	Q. V.
	Aquæ	Q. S.
	Alcoholis 70°	Q. S.

Pulverem aqua quam citissime extrahe ne mutationem subeat.

Solutiones balneo aquæ calefac donec coagulentur; per linteum cola et vapora donec liquidum pondus specificum 1,25 temperatura ordinaria habeat.

Extractum jam frigidum dilue triplici alcoholis 70° pondere; sub frequenti motione per 12 horas macera; filtra et vapora ad consistentiam extracti firmi; extractum non ultra 20 p. c. humoris contineat.

SECALIS CORNUTI EXTRACTUM FLUIDUM.

R.	Secalis cornuti pulveris n° 20	1000
	Alcoholis 20°.	Q. S.
	Petroleini.	Q. S.
	Acidi chlorhydrici	17

Pulverem prius petroleino suo unguine privatum sicca, dein madefac ope 600 partium alcoholis 20°. Post 4 horas in percolatore adamussim condensa, alcoholem 20° superinfunde ut constanter totam massam cooperiat, donec effluere incipiat; orificium tunc claude et macera per 24 horas.

Orificio tunc aperto, sine effluere; ita tamen ut libram liquoris constantem, alcoholis 20° non intermissa restitutione, teneas. Collige seorsum 850 partes priores; et alcohole 20° perge eluere donec satis exhaustus pulvis appareat

Ultimos elutorios liquores, additis 17 partibus acidi chlorhydrici, vaporatione ad 150 partes contrahe, et solve in 850 prioribus.

Hoc extractum fluidum secalis cornuti contineat saltem 15 p. c. residui sicci.

SENNÆ EXTRACTUM FLUIDUM.

R. Sennæ folii pulveris n° 10	100
Alcoholis 30°	Q. S.

Fac extractum fluidum, quod saltem 20 p. c. residui sicci relinquat.

SENNÆ FOLIUM.

Foliolum *Cassiæ acutifoliæ* (Delile) vel *Cassiæ angustifoliæ* (Vahl).

Est ovatum, lanceolatum, longius et angustius in specie *angustifolia;* acutum, ad basim leviter asymetricum, e viridi flavescens, nervis bene apparentibus.

Folium sennæ ejusque pulvis, prius 100° siccata, ne ultra 12 p. c. cinerum relinquant.

SENNÆ FOLIUM SPIRITU EXTRACTUM.

R. Sennæ folii secti	1
Alcoholis	4

Macera per 2 dies.

Exprime et sicca.

SENNÆ FOLLICULUS.

Legumen *Cassiæ acutifoliæ* (Delile) et *Cassiæ angustifoliæ* (Vahl).

Est complanatum, oblongum, membranaceum, lucidum, e fusco viridescens, 3 ad 5 centim. longum, 1,5 ad 2 centim. latum; grana applanata e viridi flavescentia comprehendens.

Legumina nigra rejiciantur.

SENNÆ INFUSUM COMPOSITUM.

Aqua laxativa Viennensis.

R. Sennæ extracti fluidi	100
Liquiritiæ extracti fluidi	50
Mannæ	200
Aquæ	650
	1000

Solve et filtra.

SENNÆ SIRUPUS COMPOSITUS.

R. Sennæ extracti fluidi	75
Liquiritiæ extracti fluidi	15
Anisi spiritus	10
Sirupi simplicis	900
	1000

SERPYLLI ESSENTIA.

Essentia ex herba *Thymi serpylli* (L.) destillatione elicita.

Liquor incolor vel flavescens, odoris grati. P. S.: 0,890 ad 0,920.

SERPYLLI SPIRITUS.

R. Serpylli essentiæ	10
Alcoholis 80°	990
	1000

SERUM ANTIDIPHTERICUM.

Serum ex sanguine equi, contra toxinam diphtericam et bacillum diphtericum immunisati.

Liquidum nitide flavum, limpidum, sterile, non continens substantiam antisepticam dosi nocente.

Serum servetur in lagenis bene plenis, operculo plumbato clausis, cum signo cui inscribatur nomen fabricantis, dies et numerus fabricati, numerus *unitatum* pro centimetro cubico et numerus totalis centimetrorum cubicorum in lagena contentorum. Lagenæ sint in involucro opaco, cui eadem inscribantur.

Servetur loco obscuro et frigido.

SERUM ANTITETANICUM.

Serum sanguinis equi, contra toxinam tetanicam et bacillum tetanicum immunisati.

Seclusis dotibus antitoxicis specificis, easdem præ se fert notas ac serum antidiphtericum; eodem modo ac illud servetur.

SERUM FACTITIUM.

R. Natrii chlorati.	8
Aquæ	992
	1000

Solve, filtra et sterilisa.

Servetur a pulvere liberum, in lagenis sterilisatis.

SINAPIS ALBÆ SEMEN.

Semen *Sinapis albæ* (L.).

Est flavum vel ex albo flavescens, sphæricum, fere læve, diametri 1 ad 2 millim. Sapore gaudet urenti et acri.

SINAPIS ESSENTIA.

Liquor incolor vel flavescens, odoris fragrantis, exasperantis, lacrymas concitans, saporis urentis, aqua perparum, alcohole, æthere,

carboneo sulfurato depurato optime solubilis, bulliens circa 149°. P. S. : 1,016 ad 1,025.

Misce, sub vehementi frigeratione, 3 gr. sinapis essentiæ cum 6 gr. acidi sulfurici; dum agitas aera orientur oportet; solutio nullum colorem ducere potest, viscosa evadit, interdum crystallina, et odorem proprium essentiæ sinapis amittit.

Sinapis essentiæ solutio alcoholica 1 : 10, addita 1 gutta ferri sesquichlorati soluti, neque cœruleum, neque rubrum colorem ducere potest.

In ampulla ex imo plana, ad 100 c. c. signata, misce 0,10 gr. sinapis essentiæ, 5 c. c. alcoholis, 10 c. c. ammonii hydrici soluti, 50 c. c. argenti nitrici liquoris decinormalis; per 24 horas frequenter conquassa. Aqua perfice 100 c. c. Filtra; colaturæ limpidæ collige 50 c. c. Quibus adde 4 c. c. acidi nitrici, 1 c. c. ferri sulfurici oxydati ammoniati soluti et ammonii thyocyanati liquoris decinormalis quantum satis ut color ruber appareat. Hujus liquoris a 14,9 ad 15,5 c. c. adhibenda erunt.

SINAPIS FARINA.

Constat e 3 partibus seminis sinapis nigræ et 1 parte seminis sinapis albæ, leni calore siccatorum et in pulverem n° 10 redactorum.

Hæc farina nullum amylum continet; cum aqua mixta gravem allyli isothiocyanati odorem spargit; cineres non ultra 5 p. c. relinquere potest.

SINAPIS NIGRÆ SEMEN.

Semen *Sinapis nigræ* (L.) diametri circiter 1 millim. extus fuscescens, intus luteum, reticulatum, globosum.

Inodorum quamdiu integrum, odorem exasperantem fortiter redolens ubi cum aqua conteritur; sapor ejus acer et amarus.

SINAPIS SPIRITUS.

℞. Sinapis essentiæ	20
Alcoholis 80°	980
	1000

SIRUPI.

1° Adhibito saccharo officinali, parentur sirupi in vasis aptis.

2° Nisi aliter notetur, liquida ad parandos sirupos adhibenda sint limpida.

Si liquanda sint, decet ut colentur charta alba bibula; si forte albumina contineant, fervefiant.

3° Saccharum apte divisum leni calore solvatur, et deinde cito fervefiat.

Cum sirupus medicamine volatili conficiendus erit, vase clauso vel leni calore parabitur.

4° Sirupi sint limpidi, exceptis sirupis anisi, amygdalarum, et chinæ cum kalio iodato et oleo jecoris aselli.

P. S. : ut plurimum 1,30 ad 1,33.

5° Sirupi serventur vasis prius siccis, probe clausis et loco frigido. Addere licet usque 3 p. c. alcoholis.

SIRUPUS SIMPLEX.

R. Aquæ	350
Sacchari	650
	1000

Sit limpidus, incolor, ponderis specifici 1,32 ad 1,33.

Cum æquo alcoholis volumine non turbetur.

SPARADRAP CUM CAOUTCHOUC.

R. Caoutchouc depurati nec vulcanisati. . . .	25
Ætheris.	150

Mitte in lagenam cujus apertura lata est. Sine caoutchouc tumescat et solvatur. Interdum commisce, donec massam fluidam, homogeneam consequaris.

Ex altera parte liquefac :

Terebinthinæ resinæ	20
Ceræ albæ	5
Emplastri simplicis	35

Adde :

Copaivæ balsami	10
Terebinthinæ essentiæ	5

Miscelam satis frigefactam mitte in solutionem caoutchouc et vehementer conquassa.

Massam super linteas fascias extende. Sicca. Stratum adhæsivum nubecula operi et fascias involve.

SPARADRAP ICHTHYOCOLLÆ.

R. Ichthyocollæ	60
Aquæ	500
Alcoholis 60°	400

Ichthyocollam in parva frustula concide et in aqua præscripta per 12 horas macera. Balneo aquæ in vase cooperto calefac donec ichthyocolla solvatur, adde alcoholem et per telam cola.

Solutionem calidam ope penicilli super fascias bombycinas vulgo *taffetas* dictas, vel super pelliculas, vulgo *baudruche* dictas extende. Sicca et perge pluribus stratis illinire donec fasciæ materia adhæsiva satis operiantur.

SPECIES.

Medicamina quibus componentur species, intime misceantur. Quare æqualiter et seorsim, si necesse, concidantur vel conterantur ut particulæ consimiles evadant. A pulvere cribrentur, nisi aliter præscribatur.

Vase clauso serventur.

SPECIES AMARÆ.

R.	Cardui benedicti herbæ	1
	Absinthii herbæ	1
	Centaurii minoris herbæ	1

SPECIES DIURETICÆ.

R.	Juniperi fructus	3
	Fœniculi fructus	1
	Liquiritiæ radicis	1

SPECIES FLORUM PECTORALIUM.

R.	Althææ floris	1
	Malvæ floris	1
	Gnaphalii floris	1
	Verbasci floris	1

SPECIES LAXANTES.

Thé Saint-Germain.

R.	Sennæ folii spiritu extracti	6
	Anisi fructus	1
	Fœniculi fructus	1
	Liquiritiæ radicis	2

SPIRITUS.

Alcohol.

Liquidum limpidum, incolor, odoris peculiaris, flagrans flamma parum lucente, miscibile aquæ et ætheri quacumque relatione, ex integro volatile. P. S. : 0,816 ad 0,820.

Contineat ad minus 94,09 p. c. volumina alcoholis puri.

Auctus aqua, præbet liquidum limpidum, quod nonnisi paucissime laccam musci rubefaciat.

5 c. c. alcoholis, balneo aquæ evaporata non relinquunt æstimabile residuum.

10 c. c. alcoholis adde 5 guttas argenti nitrici soluti; liquidum non turbetur, nec, per aliquod tempus calefactum, coloretur.

Ad 1 c. c. evapora miscelam 10 c. c. alcoholis et 5 guttarum kalii hydrici soluti, dein supersatura acido sulfurico diluto; nullus spargatur odor alcoholis male sapientis

Si addantur 5 guttæ anilini et 3 guttæ acidi chlorhydrici 10 c. c. alcoholis, non appareat coloratio rosea aut rubra, etiam quodam tempore elapso.

In tubum probatorium, ubi prævie intromiseris 5 c. c. acidi sulfurici, caute infunde æquale volumen alcoholis; non fiat coloratio rosea ubi se tangunt liquida, etiam post 20 minuta.

Miscela 10 c. c. alcoholis et 1 c. c. kalii permanganici soluti non exuatur suo colore etiam post 20 minuta. Alcohol nec acido sulfhydrico nec ammonio hydrico soluto coloretur.

Servetur in vasis bene clausis.

SPIRITUS AROMATICUS.

Spiritus melissæ compositus. — Spiritus carminativus Sylvii.

R.	Melissæ essentiæ	0,50
	Citri essentiæ	2,40
	Cinnamomi essentiæ.	0,10
	Myristicæ essentiæ	2
	Eugenoli	2
	Alcoholis 75°	993
		1000

STAPHYSAGRIÆ SEMEN.

Semen *Delphinii staphysagriæ* (L.).

Semen e fusco nigrescens, abnorme pyramidatum, tri-vel quadrifrons, una fronte convexum; nucleum continens oleosum ex albo flavescentem.

Odoris ingrati, saporis nauseosi, amari et acris.

STERILISATIO.

Præcipua producta aut præparata, medico postulante, sterilisanda, sunt objecta in curatione vulnerum adhibenda, aqua, solutiones aquosæ aut oleosæ pro injectionibus hypodermicis et collyriis, unguenta, pulveres, etc. Quo casu, etiam vasa, utensilia vitrea et por-

cellanea, etc., in quibus hæc producta servari debent, sterilisentur oportet.

Sterilisatio obtineri potest substantiis bactericidis (acido carbolico, cresolo, alcohole, etc.), filtratione liquidorum ope cerei porcellanei, calore sicco 160° ad 180° (caldarium aeratum, inflammatio, etc.), calore humido (120° in autoclavo, ebullitio, tyndallisatio ad 60°-80°).

Sterilisata serventur ab omni nova contaminatione remota, sive in vasis hermetice aut obturamento gossypiato clausis, sive in involucro ita denso ut nullum transeat germen.

Ad vasa claudenda, apte adhibentur obturamenta emerilia capite depresso, quibus deficientibus, adhibe obturamenta subera in alcohole servata.

Sterilisatio ope substantiarum chemicarum regulariter vitetur; generatim imperfecte et parum celeriter agit in parvas doses materiæ bactericidæ, quas in præparatione habere licet. Favet tamen conservationi et manipulationi productorum jam sterilisatorum; natura et quantitas materiæ antisepticæ adhibitæ in inscriptione rite indicentur.

Vasa et utensilia vitrea, porcellanea, etc., ordinarie sterilisantur calore sicco, ad minimum 160°. Maxime optandum est ut in quacunque officina inveniantur aliquot lagenæ, pyxides, infundibula, obturamenta, prævie sterilisata.

Pulveres zinci oxydati, talci, acidi borici, etc., in pyxidem obturamento gossypii clausam immissi, per semi-horam actioni caloris sicci 120° subjici possunt. Alii pulveres sterilisari possunt ope alcoholis, ætheris, etc.

Gossypium et tela pro vulneribus aseptice curandis optime sterilisantur si per semi-horam ad minus calore 120° teneantur in autoclavo, in medio vaporibus aquæ saturato.

Quædam sutoria fila sterilisantur calore aut additione substantiarum antisepticarum; alia vero duobus simul modis.

Aqua sterilisatur filtratione ope cerei porcellanei et recolligitur in lagenam sterilisatam, cujus apertura obturamento gossypii sterilisati claudatur, aut ebullitione ad minus quadrantis horæ in lagena gossypio clausa.

Si solutiones aquosæ pro injectionibus subcutaneis et pro collyriis actione diuturna caloris non mutantur (serum factititium, etc.), sterilisantur in autoclavo, ebullitione, aut balneo aquæ. Casu contrario, aut si dispensatio directe urgeat, solve substantiam in aqua, filtratione aut ebullitione sterilisata; filtra, si opus est, filtro aqua sterilisata loto, et excipe solutionem in lagenam sterilisatam cum obturamento sterilisato, aut in ampullam lámpade claudendam.

Item solutiones oleosæ pro injectionibus subcutaneis et unguenta

sterilisantur calore, si illum absque mutatione sustineant; alioquin oleum, paraffinum et excipulum pro unguentis sterilisantur calore et additur substantia medicamentosa, prævie mediis aptis sterilisata.

STIBIUM SULFURATUM AURANTIACUM.

Sulphuretum antimonii auratum.

Pulvis coloris aurantiaco-flavi, nullius aut parvi odoris, sine sapore, in aqua et in alcohole insolubilis, solubilis calide in natrio hydrico soluto.

Stibium sulfuratum aurantiacum solvitur calide in acido chlorhydrico, relinquens residuum sulphuris et emittens acidum sulfhydricum.

In tubo clauso calefactum, convertitur in stibium sulfuratum nigrum editque sublimatum sulphuris.

1 gr. stibii sulfurati aurantiaci agita cum 20 c. c. aquæ et filtra; liquidum filtratum vix turbetur argento nitrico quin obfuscetur; baryo nitrico leviter præcipitari poterit.

1 gr. stibii sulfurati aurantiaci frigide tracta cum 6 c. c. acidi chlorhydrici; quando non jam emittitur acidum sulfhydricum, adde 5 c. c. aquæ et caute calefac balneo aquæ, addendo liquido aliquot crystallos kalii chlorici. Sejunge sulphurem a liquido chloro privato et hoc liquidum divide in duas partes. Prima reducitur evaporatione ad volumen 2 c. c.; adde tunc 2 c. c. stanni chlorati soluti; miscela non obfuscetur, etiam hora elapsa. Altera pars ipsamet dividitur in duas portiones æquales: quarum prima augetur excedente natrio hydrico et modice calefit; solutio sic obtenta sit limpida nec præcipitetur aliquot guttis acidi sulfhydrici soluti. Liquidum reliquum ammonio hydrico soluto supersaturatur; præcipitatum sit pure album et liquidum innatans non cœrulescat.

Servetur a luce remotum.

STIBIUM SULFURATUM NIGRUM.

Sulphuretum antimonii nigrum.

Frusta crystallina, cinereo-nigrescentia, texturæ radiatæ, quæ in pulverem tenuissimum reducuntur.

Hic pulvis, odoris et saporis expers, non solvitur in aqua; calidus solvitur in acido chlorhydrico, emittens acidum sulfhydricum; in hisce adjunctis non relinquat ultra 5 p. c. substantiæ insolubilis; solutio calida, sufficienti ebullitione acido sulfhydrico privata, non deponat refrigeratione crystallos plumbi chlorati; in multa aqua infusa, edit

præcipitatum album, quod, in acido chlorhydrico solutum, efficit præcipitatum aurantiacum acido sulfhydrico.

1 gr. stibii sulfurati nigri adde 10 c. c. acidi chlorhydrici; quando in frigore non jam emittitur gazum, adde 5 c. c. aquæ et caute calefac balneo aquæ cum aliquot crystallis kalii chlorici. Filtra liquidum chloro privatum supra obturamentum asbesti et reduc evaporatione ad 3 c. c.; adde æquale volumen stanni chlorati soluti et agita; miscela non obfuscetur, etiam post horam.

STRAMONII FOLIUM.

Daturæ stramonii (L.) folium, incipiente anthesi lectum.

STROPHANTHI SEMEN.

Strophanthi hispidi (D. C. var. Kombé), semen pappo privatum.

Est oblongo-lanceolatum, leve, 12 ad 15 millim. longum, 3 ad 4 millim. latum, coloris varii ab albo flavescente ad flavum viridescens; pilis coopertum adeo densis ut sericeum videatur. Sapor ejus amarissimus; hujus seminis contriti odor peculiaris.

Nucleus albus et oleosus.

Caute servetur.

STROPHANTHI TINCTURA.

R. Strophanthi seminis	100
Alcoholis 70°	1000

Percolando fac tincturam, quæ saltem 1 p. c. residui sicci relinquat.

STRYCHNI EXTRACTUM.

Extractum nucis vomicæ.

R. Strychni pulveris n° 20	1000 gr.
Alcoholis 70°	Q. S.
Acidi acetici.	Q. S.
Ætheris	Q. S.
Sacchari lactis	Q. S.

Strychni pulverem alcohole exhauri; liquorem ad 200 gr. vapora. Si liquore non rubefiat charta exploratoria, adde quantum satis acidi acetici. Adde nunc 100 c. c. ætheris, caute concute, ætherem decantha et sic pluries elue donec æthere nulla jam solvatur unguinosa materia. Tandem productum, ita æthere exhaustum ad siccum vapora.

Alcaloideorum computatio. — Strychni extracti probe contriti et intime commixti 1,5 gr. cum aquæ 10 gr. in vase 125 c. c. amplo, conquassa. Adde 50 gr. ætheris et chloroformii 25 gr. et vehementer

excute; infunde nunc 5 gr. ammonii hydrici soluti. Move denuo per aliquot minuta. Depone ad horam et perge ut dicetur verbo *Strychni pulvis*. Invenire debes residui saltem 0,16 gr., quod indicat 16 p. c. alcaloideorum.

Ultra 16 si inveneris, adde quantum satis sacchari lactis ut ad hunc numerum reducatur.

Alcaloideorum residuum notas præbebit verbo *Strychni pulvis* relatas.

STRYCHNI PULVIS.

Strychni semen ex integro in pulverem n° 40 redactum, sive cum, sive absque saccharo lactis.

Pulvis est ex albo cinereus, amarissimus. In eo 2,5 p. c. alcaloideorum invenire debes.

Alcaloideorum computatio. — Pulveris 15 gr. cum arena bene attenuata alcohole 70° exhauri. Solutionem vaporatione ad 10 gr. coge; acido acetico acidam fac eamdem, dein ætheris ope extrahe.

Remoto æthere, mixturæ aquosæ acidæ adde 50 gr. ætheris et 25 gr. chloroformii. Vehementer conquassa, et infunde 5 gr. ammonii hydrici soluti; excute per aliquot minuta et ad horam repone.

Per chartam siccam liquorem supereminentem filtra et in ampulla vitrea ex imo plana, prius appensa, filtrati 50 gr. collige. Destilla, residuo adde 10 gr. ætheris, balneo aquæ vapora et calore 100° sicca, donec pondus constans remaneat. Pondus residui sit 0,25 gr., quod indicat 2,5 p. c. alcaloideorum.

Si strychni pulvis rationem alcaloideorum ista majorem contineat, addendo quantum satis sacchari lactis, ad rationem 2,5 p. c. reduc.

Si residui alcaloidici alteram partem cum 1 gutta acidi nitrici miscueris, color ruber orietur. Si alteram partem solveris in aliquot guttis acidi sulfurici, et kalii bichromici crystallum addideris, striæ apparebunt cœruleæ prius, dein violaceæ, denique cerasinæ.

STRYCHNI SEMEN.

Semen *Strychni nucis vomicæ* (L.).

Est discoideum, 20 ad 25 millim. latum, 3 ad 5 millim. crassum, complanatum, cinereo flavescens, pilis lenibus et lucidis opertum.

Est inodorum, et sapore amaro, nauseoso præditum.

STRYCHNI TINCTURA.

Nucis vomicæ tinctura.

R. Strychni pulveris	100
Alcoholis 70°	Q. S. circa 1000

Percolando fac tincturam, continentem 0,25 p. c. alcaloideorum.

Alcaloideorum computatio. — Sume 75 gr. tincturæ et vaporando ad 10 gr. coge. Perge ut dicitur verbo *Strychni pulvis*. Residui alcaloidici 0,125 gr. invenire debes, quod indicat 0,25 p. c. alcaloideorum.

Rationem superiorem si inveneris, addito sufficienti alcohole 70° ad 0,25 p. c. reduces.

Si residui alcaloidici alteram partem cum 1 gutta acidi nitrici miscueris, color ruber orietur. Si alteram partem solveris in aliquot guttis acidi sulfurici, et kalii bichromici crystallum addideris, striæ apparebunt cœruleæ prius, dein violaceæ, denique cerasinæ.

STRYCHNINUM NITRICUM.

Aciculæ coloris et odoris expertes, saporis amarissimi, solubiles in 90 partibus aquæ frigidæ, in 3 partibus aquæ bullientis et in 70 partibus alcoholis; quæ solutiones cum lacca musci neutræ sunt.

Strychninum nitricum fere insolubile est in æthere, in chloroformio et in carboneo sulfurato depurato.

In lamina platinea calefactum, comburitur quin relinquat residuum.

Si ad ebullitionem evehas miscelam aliquot crystallorum strychnini nitrici cum 2 ad 3 c. c. acidi chlorhydrici, liquidum assumit colorem rubrum.

Acido sulfurico tractatum, strychninum nitricum non coloratur; cum acido nitrico trituratum, leviter flavescit, non autem rubescit.

Aliquot guttas kalii bichromici soluti adde 1-2 c. c. solutionis aquosæ strychnini nitrici 1:100; editur præcipitatum crystallinum flavorubescens, quod filtratione a liquido secernitur. Si ope bacilli vitrei parva quantitas hujus præcipitati assumitur et in aliquot centimetris cubicis acidi sulfurici immittitur, fit coloratio cœruleo-violacea, ad rubrum transiens.

Caute servetur.

N. B. — Si præscribatur STRYCHNINUM SULFURICUM, dispensetur strychninum nitricum.

STYLI.

Styli diverso modo et diversa materia parantur, juxta naturam medicaminis et usum ad quem adhibendi sunt.

Medicamentum in massa æqualiter dividatur. Quale et quantum stylis insit medicamen, titulo inscribatur.

Nisi aliter notetur, styli sint cylindrici, 4 ad 5 centim. longi, 4 ad 5 millim. crassi.

STYRACIS UNGUENTUM COMPOSITUM.

R. Olei officinalis	250
Ceræ flavæ	150
Styracis liquidi	150
Elemi	150
Terebinthinæ Venetæ	300
	1000

STYRAX LIQUIDUS.

Balsamum e cortice *Liquidambaris orientalis* (Miller).

Liquor spissus, viscosus, pellucidus, fuscescens, aqua gravior, odoris grati, saporis acris.

Solvitur alcoholis æquo pondere, solutionem præbens limpidam, reactionis acidæ.

Fere ex toto solvi debet æthere, carboneo sulfurato depurato et benzolo, non vero petroleino.

SULFONALUM.

Crystalla prismatica, coloris, odoris et saporis expertia, liquescentia ad 125°-126°, solubilia in 500 partibus aquæ frigidæ, in 15 partibus aquæ bullientis, in alcohole et in æthere. Solutiones sulfonali cum lacca musci neutræ sunt.

Nec acidum sulfuricum frigidum, nec acidum nitricum bulliens, nec bromum, nec solutiones alcalinæ bullientes sulfonalum mutant.

Si æqualibus partibus misceantur sulfonalum et kalium cyanatum et pulvis calefiat in tubo sicco, emittuntur vapores mercaptanum redolentes; residuum, cum aqua tractatum, præbet solutionem quæ, filtrata, dein acido chlorhydrico acidulata, sumit colorem rubro-sanguineum si augeatur ferro sesquichlorato.

Sulfonalum ebullitione solvatur in 50 partibus aquæ, quin emittat substantias odoriferas; solutio refrigerata et post aliquot minuta filtrata, nec baryo nitrico, nec argento nitrico præcipitatur.

10 c. c. hujus solutionis aquosæ refrigeratæ et filtratæ, 1 gutta kalii permanganici soluti aucta, violaceum sumunt colorem, et coloratio nonnisi gradatim evanescat.

0,10 gr. sulfonali comburuntur quin relinquant æstimabile residuum.

SULPHUR.

Sulphur lotum.

Pulvis flavus, odoris et saporis expers, qui, in aere calefactus, comburitur relinquens ad summum 1 p. c. residui.

Si agites 2 gr. sulphuris cum 10 c. c. aquæ, liquidum filtratum laccam musci non rubefaciat.

Per 10 minuta digere, identidem agitando, miscelam 5 gr. sulphuris, 5 c. c. ammonii hydrici soluti et 5 c. c. aquæ; post filtrationem, supersatura acido chlorhydrico et tracta cum acido sulfhydrico; non appareat coloratio flava, nec præcipitatum flavum.

Si diu ebullire facias, aquam evaporatam supplendo, miscelam 10 c. c. natrii hydrici soluti, suo volumine aquæ diluti, et 2 gr. sulphuris, per parvas partes additorum, oportet obtineas liquidum fuscum pellucidum, quod, post aliquod tempus, non relinquat præcipitatum rubro-fuscum.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

Pulvis tenuissimus, levis, pallidissime flavus, odoris fere nullius, qui in aere comburitur quin relinquat æstimabile residuum. Dentibus non crepitat.

Agita 2 gr. sulphuris præcipitati cum 5 c. c. acidi chlorhydrici et 5 c. c. aquæ; filtra, surpersatura ammonio hydrico soluto et tracta ammonio oxalico; liquidum maneat limpidum.

Pro reliquis puritatis notis, conferatur articulus : *Sulphur*.

SULPHURIS ALCALINI UNGUENTUM.

R. Kalii carbonici	100
Aquæ	50
Sulphuris	200
Adipis suilli	650
	1000

Kalium carbonicum aqua solve; sulphurem in liquore contere, et adde suillum adipem; intime commisce, ut unguentum fiat naturæ concordis.

Paretur ex tempore.

SULPHURIS TABELLÆ.

R. Sulphuris	100
Tragacanthæ gummi	8
Sacchari	892
Aquæ	Q. S.

Misce et in tabellas 1 gr. divide.

SUPPOSITORIA ET OVULA.

Parentur ope olei cacao sive puri, sive cum pauca cera, vel pauco lanolino, aut ope gelatinæ glyceritæ.

Suppositorii unius pondus est inter 2 et 5 gr.; ovuli pondus erit a 5 ad 15 gr.

Ad paranda suppositoria et ovula ope olei cacao, medicamentum et oleum cacao perfecte commixta ad formam desideratam comprimendo coguntur; fundendo etiam parari possunt : oleum cacao quam lenissimo calore liquefit, et cum ad congelandum paratum videtur, medicamentum miscetur, et massa in modulos conicos oleo madefactos funditur.

Ad paranda ovula ope glycerini :

R. Glycerini	7
Gelatinæ	1

Gelátinam sub aqua sufficienti ad 12 horas repone, dein extrahe et aquam sedulo absterge. Balneo aquæ cum glycerino præscripto solve. Balneo aquæ vapora et in modulos idoneos funde.

Quando ovulis et suppositoriis ope glycerini parandis, pharmacum admiscendum est, pharmacum in certa parte glycerini solvatur, vel misceatur massæ gelatinæ glyceritæ jam ad fundendum paratæ.

TABELLÆ.

Saccharum et substantiæ solidæ ad tabellas adhibenda, in pulverem tenuissimum conterantur.

Medicamenta solida saccharo probe misceantur; gummi et liquidum præscriptum addantur ut pasta fiat firma et homogenea. Quæ, super tabulam amylo respersam æqualiter strata, in tabellas æqui ponderis dividatur.

Tabellæ in aere prius siccantur et tandem calore 100°.

Pondus tabellæ siccæ unius est 1 gr.

Tabellæ ab humore defendantur.

TALCUM.

Magnesium hydro-silicicum, nativum.

Pulvis albus, tactu pinguis, aqua et acidis insolubilis. Tubo probatorio calefactus, non immutatur.

TAMARINDORUM CONSERVA.

R. Tamarindorum pulpæ	1000
Sacchari	200

Balneo aquæ macera, cum aquæ pondere æquo, in vase figulino vel porcellaneo. Cum massa satis emollita erit, cribra a granis et fibris; vapora ad spissitudinem extracti firmi et admisce saccharum.

TAMARINDORUM ELECTUARIUM LENITIVUM.

R. Sennæ extracti fluidi	200
Liquiritiæ pulveris n° 40.	75
Coriandri fructus pulveris n° 20	75
Tamarindorum conservæ.	225
Sacchari pulveris	425
	1000

TAMARINDORUM PULPA.

Fructus *Tamarindi indicæ* (L.) partium internarum miscela.

TANACETI FLOS.

Tanaceti vulgaris (L.) capitulus luteo-auratus.

TANNAS ALBUMINI.

Pulvis subfuscus, odoris et saporis expers, in aqua et alcohole fere insolubilis.

Cum calcio oxydato in tubo clauso calefactum, tannas albumini emittit ammoniam.

Si agites tannatem albumini cum aqua bulliente, post filtrationem obtines liquidum quod, addita 1 gutta ferri sesquichlorati soluti, colorationem cæruleo-nigram inducit.

Tannas albumini circiter 50 p. c. acidi tannici continet.

TARTARUS STIBIATUS.

Tartras antimonico-potassicus.

Pulvis crystallinus, albus, absque odore, saporis ingrati, solubilis in circiter 17 partibus aquæ frigidæ et in 2 partibus aquæ bullientis, non solubilis in alcoholè.

Tartarus stibiatus calore carbonescit.

Solutio aquosa 1 : 20 leviter acide reagit; præbet, ope calcii hydrici soluti, præcipitatum, facile solubile in acido acetico et, addito acido chlorhydrico, efficit acido sulfhydrico præcipitatum aurantiacum.

Nec calcio chlorato, nec ammonio oxalico præcipitatur; non cœrulescit kalio ferrocyanato.

10 guttis acidi tartarici soluti 1 : 10 acidulata, nec baryo nitrico, nec argento nitrico præcipitatur. Hoc ultimo tamen reagente leviter turbari poterit.

Miscela frequenter agitata 1 gr. tartari stibiati, tenuissime pulverati, et 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur, etiam una hora elapsa.

Solve 0,2 gr. tartari stibiati et 0,2 gr. acidi tartarici in circiter 10 c. c. aquæ; dilue ad 100 c. c., dein in liquido solve 2 gr. natrii bicarbonici et adde aliquot guttas amyli soluti. Dein grada ope liquoris decinormalis iodi; ut solutio permanenter cœrulea sit, indiges 11,9-12 c. c. liquoris gradati.

Caute servetur in lagenis bene clausis.

TELA CUM ACIDO BORICO.

R. Telæ depuratæ	. . . . .	900
Acidi borici	. . . . .	100
Aquæ calidæ	. . . . .	Q. S. circa 1500

Acidum boricum aqua solve, solutumque in capsulam sat amplam immitte. Telam inibi positam, sedulo subactam æqualiter imbue. Sicca et in fasciculos dispone.

Tela cum acido borico alba est et inodora.

Telæ 2 gr. ope 20 gr. aquæ calidæ exhauri, et solutioni adde aliquot guttas acidi chlorhydrici. Charta curcumæ hac solutione madefacta siccando fit fusca; color fuscus iste ammonio hydrico soluto in atro-cœruleum vertitur.

Acidi borici computatio. — In ampullam ad 500 c. c. signatam, immitte 5 gr. telæ et 400 c. c. miscelæ calidæ, ex 1 glycerini, et 9 aquæ partibus constantis, vehementer conquassa et, cum frigeraverit, perfice 500 c. c. Liquoris limpidi sume 100 c. c. adde glycerini 40 c. c., aliquot phenolphtaleini soluti guttas, et natrii hydrici liquoris decinormalis quantum satis ut color ruber appareat. Numerus centimetrorum cubicorum cum 0,62 multiplicatus est circiter pondus acidi borici in telæ 100 gr. contentum.

Continere debet 10 p. c. acidi borici.

TELA CUM ACIDO CARBOLICO.

R. Telæ depuratæ	. . . . .	950
Acidi carbolici	. . . . .	50
Ætheris.	. . . . .	Q. S. circiter 1500

Acidum carbolicum æthere solve, in vas amplum funde, adde telam eamque bene subigendo æqualiter imbue. Ordinaria temperatura telam celeriter sicca. Fasciculos dispone duplici involucro tectos, priori ex charta cerata, altero ex charta pergamena nigra crassiori.

Tela cum acido carbolico alba est et phenolum redolet.

Telæ cum acido carbolico 2 gr. ope 20 gr. aquæ calidæ exhausta, solutionem præbent quæ, addito ferro sesquichlorato, violacea evadit, et in qua, addita aqua bromata, præcipitatum oritur album floccosum.

Acidi carbolici computatio. — In ampulla obturata ad 500 c. c. signata, 10 gr. telæ cum 400 c. c. aquæ calidæ vehementer conquassa; cum frigeraverit comple 500 c. c., sume soluti 50 c. c. Adde 50 gr. kalii bromati soluti 5,95 : 1000, 50 c. c. kalii bromici soluti 1,67 : 1000 et 5 c. c. acidi sulfurici. Conquassa et repone per 15 minuta, vase clauso.

Adde nunc 10 c. c. kalii iodati 1 : 10, aliquot guttas amyli soluti, et natrii hyposulfurosi liquoris decinormalis quantum satis ut color cœruleus evanescat. Numerum centimetrorum cubicorum natrii hyposulfurosi liquoris cum 0,00156 multiplica; productum e 0,047 subtrahe; residuum cum 100 multiplica; sic circiter invenies quantum acidum carbolicum pro centum tela contineat. Invenire debes 5 p. c.

TELA CUM ACIDO SALICYLICO.

R. Telæ depuratæ	950
Acidi salicylici	50

Acidum salicylicum sufficienti æthere, alcohole vel aqua alcoholisata (1500 circiter) solve, et in vas amplum effunde, telam immitte, et subigendo æqualiter imbue. Sicca et in fasciculos dispone.

Tela cum acido salicylico est alba et inodora.

Telæ cum acido salicylico 2 gr., ope 20 gr. aquæ calidæ exhausta, solutionem præbent, quæ, addito ferro sesquichlorato, violacea efficitur et in qua, addita excedente aqua bromata, præcipitatum secernitur album floccosum.

Acidi salicylici computatio. — Vase clauso 5 gr. telæ cum alcoholis 100 c. c. conquassa. Soluti sume 50 c. c., adde 5 guttas phenolphtaleini soluti et natrii hydrici liquoris decinormalis quantum satis ut color ruber appareat. Numerum centimetrorum cubicorum liquoris decinormalis cum 0,552 multiplica, et sic circiter invenies quantum acidum salicylicum in 100 gr. telæ contineatur. Invenire debes 5 p. c.

TELA CUM HYDRARGYRO BICHLORATO.

R. Telæ depuratæ	990
Hydrargyri bichlorati	5
Natrii chlorati	5

Natrium chloratum et hydrargyrum bichloratum sufficienti aqua (circa 1500) solve et solutum funde in vas amplum. Telam immitte et subigendo æqualiter imbue. Sicca et in fasciculos dispone.

Tela cum hydrargyro bichlorato alba est et inodora.

Telæ 10 gr. ope 50 gr. aquæ calidæ extracta, solutionem præbent in qua, addito stanno chlorato, præcipitatum oritur album, quod excedente stanno chlorato in cinereo-atrum vertitur.

Hydrargyri bichlorati computatio. — 20 gr. telæ sectæ cum 400 c. c. aquæ calidæ vehementer ad 2 horas repone, conquassa et, cum frigeraverit, comple 500 c. c. Soluti filtrati 250 c. c. assume. Adde 2 c. c. acidi chlorhydrici, acido sulfhydrico satura et fervefac. Parvo filtro hydrargyrum sulfuratum præcipitatum collige et aqua elue. Præcipitatum cum filtro mitte in vas cylindricum obturamento vitreo roso clausum; adde 20 c. c. aquæ, 3 c. c. carbonei sulfurati depurati, et 10 c. c. iodi liquoris decinormalis. Per aliquod tempus interdum conquassa, dein iodi excessum natrii hyposulfurosi liquore decinormali grada, teste amylo soluto. Numerum centimetrorum cubicorum natrii hyposulfurosi e 10 extrahe; residuum cum 0,1355 multiplica et sic invenies circiter quantum hydrargyrum bichloratum solubile in telæ 100 gr. continetur.

TELA CUM IODOFORMIO.

R. Telæ depuratæ		880
Paraffini liquidi		20
Iodoformii		100
Ætheris	Q. S.	circa 1500

Iodoformium et paraffinum liquidum æthere solve, solutum in vas amplum funde. Telam immitte et subigendo æqualiter imbue, sicca celeriter temperatura ordinaria, procul a luce. In fasciculos dispone duplici involucro coopertos, priori e charta cerata, altero e charta pergamena nigra crassiori.

Tela cum iodoformio coloris est pallide flavi; odorem proprium iodoformii redolet.

Iodoformii computatio. — In apparatu ad extractionem continuam, 10 gr. telæ æthere extrahe; solutionem ætheream ad volumen 100 c. c. perfice. E qua 20 c. c. sume, in parvam ampullam ex imo planam immitte, ætherem vapora, aeris afflatu. Residuo adde 10 c. c. vel amplius argenti nitrici aqua soluti 25 p. c. Balneo aquæ calefac donec iodoformium in argentum iodatum mutetur; adde 40 c. c. aquæ, præcipitatum in filtro sicco et appenso collige, aqua, alcohole et æthere elue. Sicca calore 110° et appende. Præcipitati pondus cum 27,95 multiplicatum, pondus est iodoformii in telæ 100 gr. contenti.

Pondus sit 10 p. c.

TELA DEPURATA.

Tela laxa, filis gossypinis elutriatis et candefactis texta.

Notis gaudeat et legibus satisfaciat verbo *Gossypium depuratum* relatis. Pondus unius metri quadrati sit saltem 40 gr.

Tela fasciculis contineatur bene clausis et a pulvere defensis.

TELÆ ET GOSSYPIA ANTISEPTICA.

Telæ et gossypia antiseptica parantur ope telæ et gossypii notis gaudentium verbis *Gossypium depuratum* et *Tela depurata* relatis.

In fasciculos disponantur probe clausos, a pulvere defensos, duplici involucro tectos, priori e charta cerata, altero e charta pergamena. Armario peculiari, vel pyxidibus ferreis stannatis serventur. Fasciculi titulo inscribatur natura et vis medicaminis.

Telæ et gossypia antiseptica nullam, præter vim suam activam, contineant substantiam, nisi aliter præscribetur.

TEREBINTHINA VENETA.

Laricis europeæ (D. C.) terebinthina.

Liquor spissus, flavescens, pellucidus, saporis amari, leviter acris, odoris balsamici, alcohole fortiori ex toto solubilis, simul ac chloroformio et acido acetico.

Terebinthina veneta in aere non siccescit; dum leni calore essentia privatus est, residuum debet relinquere siccum.

TEREBINTHINÆ ESSENTIA.

E terebinthinæ plurium *Pini* specierum essentia rectificando elicitur.

Liquor incolor, odoris peculiaris, saporis acris et acuti, alcoholis 12 partibus solubilis. P. S. : 0,860 ad 0,870.

Terebinthinæ essentia bullit inter 155° et 162°. Alcohole soluta chartam exploratoriam madefactam non rebefacit.

TEREBINTHINÆ RESINA.

Colophonium.

Terebinthinæ diversarum specierum generis *Pinus* destillationis residuum.

Fragmenta sunt flava vel e flavo fusca, pellucida, friabilia, odoris et saporis debilium, 1 parte alcoholis, 1 parte acidi acetici et natrio hydrico soluto solubilia.

Colophonium balneo aquæ liquescit, liquorem præbens limpidum, viscosum; calore vivo vapores albos, aromaticos elicit.

Acidi index stat inter 151 et 180.

THAPSIÆ RESINA.

R. Thapsiæ radicis cortícis	Q. V.
Alcoholis.	Q. S.

Corticis pulverem alcohole exhauri. Liquores vapora; residuum aqua calida exhauri. Collige quod insolutum remanet, alcohole solve : solutum ad mellis spissitudinem vapora.

Massa est resinosa, flavescens, pellucida, odoris peculiaris, alcohole frigido ex integro solubilis.

THAPSIÆ SPARADRAP.

R.	Ceræ flavæ	380
	Terebinthinæ resinæ.	135
	Picis burgundicæ.	275
	Terebenthinæ venetæ	45
	Glycerini	45
	Mellis	50
	Thapsiæ resinæ	70
		1000

Quinque priores substantias simul liquefac; adde glycerinum, mel et resinam, et bene commisce. Super fascias telæ ceratas extende.

THEOBROMINUM NATRIO-SALICYLICUM.

Pulvis amorphus, albus, odoris expers, saporis dulciter salsi et lixivialis, solubilis calore in suo pondere aquæ. Hæc solutio colore caret et laccam musci cœruleam facit; ad summum leviter turbida sit.

Solutio aquosa 1:20, aucta ferro sesquichlorato, obfuscum sumit colorem, qui dilutione transit in violaceum. Acido chlorhydrico efficit præcipitatum album; hoc præcipitatum, cum excedente ammonio hydrico soluto agitatum, non evanescit; solvitur in excedente natrio hydrico.

5 c. c. solutionis aquosæ 1:5 adde 7 guttas acidi chlorhydrici, dein de natrio hydrico soluto donec obtineas solutionem limpidam; agita cum 10 c. c. chloroformii, liquidum solvens sejunge, super vitrum horologii ponderatum evapora et desicca residuum. Hujus residui pondus non sit ultra 5 milligrammata.

Servetur in lagenis bene clausis.

THIMY HERBA.

Thymi vulgaris (L.) herba florida.

THYMOLUM.

Crystalli incolores, pellucidæ, odoris peculiaris, saporis acuti, piperati, aqua perparum, alcohole vero, æthere, chloroformio, et alcalis causticis aquosis valde solubiles.

Thymolum liquescit circa 50°-51° et bullit calore 230°.

Acidum sulfuricum frigidum in quo solvitur 1:4 colorem ducit flavum; calefactum colorem mutat in roseo-rubrum. Solutionem hanc decuplici aquæ volumine dilue; cum excedente baryo carbonico, sub frequente motione leniter calefac; solutio filtrata additis aliquot ferri sesquichlorati soluti guttis, colorem ducit intense violaceum.

Thymoli solutio aquosa, addita aqua bromata, turbida fit vel lactescens, sed nullum secernit præcipitatum crystallinum. Ferro sesquichlorato violacea evadere nequit.

Thymoli 0,10 gr. balneo aquæ vaporata nullum sensibile residuum relinquunt.

Ab aere et luce defendatur.

THYROIDEA.

Principium activum glandulæ thyroideæ est substantia iodata specialis, iodothyrinum dicta. Dispensari potest sub forma glandulæ recentis et pulpatæ ovis, glandulæ desiccatæ et pulveratæ, aut sub forma variorum extractorum glandulæ convenienter, absque alteratione substantiæ iodatæ, paratorum.

Pulveri et extracto additur saccharum lactis, ita ut pondus æquivaleat ponderi glandulæ frigidæ usurpatæ.

1 gr. glandulæ frigidæ, pulveris aut extracti circiter 0,0003 gr. iodi, sub forma iodothyrini, continet.

TILIÆ FLOS.

Inflorescentia cum pedunculo bracteaque concrescenti *Tiliæ platiphyllon* (Scop.) et *Tiliæ ulmifoliæ* (Scop.).

Est e viridi flavescens, odoris debilis, grati.

TINCTURA AMARA.

R. Absinthii tincturæ	100
Gentianæ tincturæ	100
Aurantiorum corticum tincturæ. . . .	100
Rhei tincturæ	100
Aloes tincturæ	50
Alcoholis 60°.	550
	1000

TINCTURÆ.

1° Medicamenta ad parandas tincturas adhibenda sint proba et legibus Pharmacopææ concordia;

2° Apte dividentur ut facilius exhauriantur;

3° Tincturæ parabuntur ad aeris temperaturam sive solvendo sive extrahendo. Extrahere potes maceratione vel lixiviatione prout libet;

4° Vasis utere quibus neque compago neque aspectus tincturarum mutari possit, neque præsertim toxicum quid tradi possit ipsis tincturis. Plerumque uti poteris vasis porcellaneis, vitreis, fictilibus, ferreis smaltitis, vel cupreis stanno illitis;

5° Tincturæ per solutionem melius parabuntur si modo idoneo, in parte superiori solventis, pharmacum suspenderis. Quo soluto, filtrabis, si necesse;

6° Ad parandam tincturam per macerationem, pharmacum misce cum solventis convenienti quantitate; per octo dies frequenter commisce. Dein cola, exprime et filtra;

7° Si tincturam vis parare per lixiviationem, nota præcepta sequeris. Ultimos liquores, si opus sit, ad consistentiam extracti mollis vaporare poteris et illud extractum ope priorum liquorum solvere.

8° Quando tinctura quædam certum præscribetur continere medicaminis pondus, tincturam parabis sequendo regulas consuetas; vim tincturæ probabis et sufficienti alcohole ad præscriptum numerum adduces;

9° Residuum siccum tincturæ invenietur sequendo normam relatam verbo *Extracta* (Residui sicci extractorum fluidorum computatio) adhibendo tincturæ 10 gr.;

10° Tincturæ limpidæ præstabuntur;

11° Tincturæ serventur procul a luce, vasis probe clausis.

TOLUTANI BALSAMI SIRUPUS.

R. Balsami tolutani	25
Arenæ lotæ	250
Aquæ	Q. S.

Balsamum, terendo cum arena, divide; adde 250 aquæ partes et vase clauso digere per 3 horas in balneo aquæ; cola et itera cum sufficienti aqua ut postquam liquores frigidos filtraveris, colaturæ 350 gr. consequaris.

In qua solve

Sacchari	650

TOLUTANI BALSAMI TINCTURA.

R. Balsami tolutani	200
Alcoholis 80°	800
	1000

TOLUTANUM BALSAMUM.

Succus resinosus *Toluiferæ balsami* (L.).

Massa e fusco flavescens, calore manus mollescens, odoris grati, saporis leniter aromatici. Ex integro solvitur chloroformio, kalio hydrico soluto, acido acetico et alcohole; solutio in alcohole reactionem acidam præbere debet. Carboneum sulfuratum depuratum cum balsamo tolutano conquassatum colorem fere nullum ducit.

Balsami tolutani 1 gr. si 50 c. c. alcoholis solveris, kalii hydrici liquoris alcoholici seminormalis 6 c. c., phenolphthaleini guttas aliquot et aquæ 300 c. c. addideris et concusseris, mixtura colore rubro prædita sit, vel rubefiat addita unica gutta kalii hydrici liquoris seminormalis. Kalii hydrici excessum, acidi chlorhydrici liquore seminormali mensurabis. Acidi numerus stare debet inter 112 et 168.

Numerus saponificationis sit inter 154 et 190; de quo certior fies sequenti modo : balsami 1 gr. solve 50 c. c. alcoholis; adde kalii hydrici liquoris alcoholici seminormalis 20 c. c. et balneo aquæ per semi horam calefac; adde nunc aquæ 300 c. c. et 10 guttas phenolphtaleini soluti et excessum kalii hydrici mensura.

Index ætheris stat inter 22 et 79.

TRAGACANTHÆ GUMMI.

Succus gummosus sponte spissatus variorum *Astragalorum* et imprimis *Astragali adscendentis* (Boiss. et Hausskn.).

Fragmentis constat tenuibus tæniatis, vel plus minusve latis et complanatis. Sit album, semi-pellucidum, durum, inodorum, aqua madefactum intumescat et cum 50 partibus aquæ mucilaginem spissam præbeat. Quæ, addita 1 gutta tincturæ iodi, leviter cœrulescat.

TUBERCULINUM.

Tuberculinum est quoddam extractum glycerinatum culturarum bacilli tuberculosæ; certa dosi injectum, specialem efficit reactionem in organismo tuberculoso.

Præparatur ope culturarum purarum in jusculo peptonisato et glycerinato, quæ ætate 6-8 hebdomadarum calore sterilisantur, quæ dein evaporatione ad decimam partem concentrantur et filtratione omnino e corporibus bacillorum expurgantur; sic obtinetur tuberculinum quod dicitur crudum.

Prostat sub forma liquidi clari, siruposi, subfusci, alcalini, odoris aromatici peculiaris; partibus quasi æqualibus constat aqua et glycerino, in quibus, inter cetera, soluta habentur peptonum, sales, sub-

stantiæ extractivæ et principium activum a bacillo tuberculoso proveniens.

Tuberculinum crudum servetur ut tale, a luce remotum, loco frigido, in lagenis hermetice clausis. In momento usus, ad gradum præscriptum diluatur aqua sterili, sive sola, sive 5 pro mille partibus acidi carbolici aucta.

In titulo lagenæ inscribantur vis reactiva aut toxica et gradus dilutionis.

ULMARIÆ FLOS.

Spireæ ulmariæ (L.) flos peduncolo privatus, ex albo flavescens, fragrans.

UNGUENTA.

1° Medicamenta ad unguenta adhibenda, proba sint et Pharmacopææ legibus concordia;

2° Quæ volatilia sunt, ultimo loco unguento misceantur, et quam minime calefiant;

3° Sales qui facilius solvuntur et extracta aqua modica prius solvantur;

4° Sales et medicamenta solida quæ minus bene aut nullo modo solvuntur, in tenuissimum pulverem redacta, unguento misceantur;

5° Admiscenda unguina et medicamenta resinosa, balneo aquæ liquefiant prius quæ minus fusibilia sunt, dein et paulatim alia; massa per telam coletur et, dum refrigeratur, ipsi commisceantur pulveres vel soluta;

6° Unguenta sint naturæ plane concordis.

UNGUENTUM BASILICUM VETERINARIUM.

℞. Adipis suilli	400
Terebinthinæ resinæ	450
Jecoris aselli olei.	50
Picis liquidæ	100
	1000

UNGUENTUM LENIENS.

℞. Ceræ albæ	140
Amygdalarum olei	560
Rosæ aquæ.	300
	1000

℣ Ceram balneo aquæ liquefac, adde oleum, misce donec miscela frigescat, et aquam rosæ paulatim commisce.

UNGUENTUM SIMPLEX.

R. Lanolini	500
Vaselini.	500
	1000

N. B. — Nisi aliter notetur in Pharmacopæa, vel a medico expresse indicetur, hoc unguine parabuntur omnia unguenta.

UVÆ URSI FOLIUM.

Folium quod fert *Arctostaphylos uva ursi* (L.).

VACCINUM.

Vaccinum antivariolicum, adstante commissione, præparatur in officina vaccinogena centrali gubernii, scholæ medicinæ veterinariæ Bruxellarum-Cureghem, adnexa. Obtinetur radendo pustulas variolosas junicum et addendo huic materiæ 2 partes glycerini; servari potest quin alteretur, aut vim vaccinogenam amittat; nihilominus melius adhibetur statim ac recipitur.

Omnes administrationes, omnes medici, et quicumque etiam privati, hi tamen si subscriptionem suam ab auctoritate communali legalisari curent, apud officinam prædictam absque expensis petere possunt et gratuito accipiunt vaccinum, omni tempore et qualibet quantite. Numerus vaccinandorum in petitione indicetur.

Quantitas vaccini sufficiens, ad vaccinandum 1, 2, vel 3 personas solet dispensari inter duplicem laminam vitri, in charta stannica involutam; majores quantitates in tubis aut lagenis mittuntur.

VALERIANÆ EXTRACTUM.

R. Valerianæ radicis	Q. V.
Ætheris	Q. S.

Valerianæ pulverem æthere extrahe; ætherem calore non excedente 40° destilla.

VALERIANÆ RADIX.

Rhizoma et radices secundariæ *Valerianæ officinalis* (L.).

Hoc medicamen sedulo mundetur a terræ particulis, quæ ipsi plerumque adhærent.

Radix et pulvis valerianæ, prius calore 100° siccata, non relinquant ultra 15 p. c, cinerum.

VALERIANÆ TINCTURA.

R. Valerianæ radicis	200
Alcoholis 60°.	1000

Fac tincturam quæ saltem 3 p. c. residui sicci relinquat.

VALERIANÆ TINCTURA ÆTHEREA.

R. Valerianæ radicis	200
Ætheris alcoholisati	1000

Fac tincturam quæ saltem 1 p. c. residui sicci relinquat.

VANILLÆ FRUCTUS.

Fructus nondum maturus *Vanillæ planifoliæ* (Andrews). Cujus superficies aciculis crystallinis nitentibus respersa sit.

VASELINUM.

Paraffinum molle.

Mixtura est e pluribus hydrocarbureis constans, quæ e petroleorum rectificationis residuo destillatione calidiori elicitur.

Massa est unguinosa, pellucida, fere incolor, amorpha et naturæ concordis, aqua insolubilis, alcohole absoluto difficillime, petroleino et benzolo optime solubilis.

Liquescit, liquorem præbens limpidum, leniter fluorescentem. Avolat, nullos vapores acres emittens et combustum nullum residuum relinquit.

Vaselini 5 gr. cum aquæ calidæ 50 gr. liquefac et commisce; aqua exinde nequit accipere reactionem sive acidam sive alcalinam.

Vaselini 2 gr., natrii hydrici 1 gr. cum alcoholis 10 gr. fervefac; alcoholem vapora, residuum aqua solve, et per chartam madefactam filtra; colaturæ si excedens acidum chlorhydricum addideris, neque acida pinguia neque resina possunt subsidere.

In tubo quod prius acido sulfurico calido elueris, calefac per 10 minuta in aquæ balneo, sub frequenti motione, 3 gr. vaselini cum 3 c. c. acidi sulfurici; vaselinum nullum ducat colorem; acidum nonnisi leviter subfuscum colorem ducat.

VERATRI ALBI RHIZOMA.

Rhizoma atro-fuscum et radices flavescentes *Veratri albi* (L.).

Rhizomatis partes inferiores emortuas rejice.

VERATRINUM.

Miscela variorum alcaloideorum, quæ e seminibus *Schœnocaulon officinalis* (A. Gr.) extrahitur.

Pulvis albus, sternutamentum excitans, paucissime solubilis in aqua, in 4 partibus alcoholis, in 2 partibus chloroformii, et in æthere.

Variæ illæ solutiones habent reactionem cum lacca musci alcalinam.

Liquidum quod obtines si veratrinum tractes aqua bulliente et filtres, habet saporem acrem, nequaquam amarum.

Veratrinum solvitur etiam in acidis dilutis editque liquida amarissima et acerrima.

Si acidum sulfuricum misceas cum veratrino pulverato et agitetur miscela, producitur coloratio flava, quæ calore transit in rubram, dein in violaceam.

Si per quoddam tempus bullire facias acidum chlorhydricum, parva quantitate veratrini auctum, liquidum assumit colorem rubrum persistentem.

Solutio alcoholica veratrini non præcipitatur platino chlorato.

In lamina platinea calefactum, veratrinum comburitur sine residuo.

Caute servetur.

VERBASCI FLOS.

Corolla *Verbasci thapsi* (L.).

Loco probe sicco servetur; colorem habeat flavum.

VINA.

Ad paranda, servanda et dispensanda vina medicinalia, regulæ serventur sub verbo *Tincturæ* relatæ, nisi aliter notetur.

Vinum adhibendum sit vinum de vite fermentatum, purum neque ullo modo corruptum.

Insuper legi civili de vino et potibus vinosis edictæ satisfaciat.

Vinum album contineat circa 10 p. c. alcoholis. Vinum fortius saltem 12 p. c. ejusdem contineat; vinum eligere potes pro libitu e Marsala, Malacca, Xeres, Grenache, Tokay, etc.

Vina ne contineant sulfatis ultra id quod 2 gr. kalii sulfurici æquivalet.

VINUM STIBIATUM.

Vinum antimoniale.

R. Tartari stibiati.	4
Vini fortioris	996
	1000

ZINCI OXYDATI UNGUENTUM.

R. Zinci oxydati	100
Unguenti simplicis	900
	1000

Zincum oxydatum cum modico unguento simplici optime comminue, et perfecte commisce cum reliquo unguento.

ZINCUM CHLORATUM.

Chloruretum zinci.

Prostat sub forma laminarum, cylindrorum aut pulveris. Coloris albi aut c griseo albi est et valde deliquescens.

Calore liquatur et refrigeratum præbet massam griseo-albam; majore calore decomponitur et relinquit residuum, quod calidum flavi coloris, frigidum albi est.

Solutio aquosa edit argento nitrico aut ammonio hydrico soluto præcipitatum album, in excedente ammonio hydrico soluto solubile.

1 gr. zinci chlorati solvatur frigide in æquali quantitate aquæ, præbendo solutionem quæ leviter turbida esse potest. Præcipitatum editum additione 3 c. c. alcoholis solvatur si addas 1 guttam acidi chlorhydrici.

Solve 1 gr. zinci chlorati in 10 gr. ammonii hydrici soluti; præcipita excedente acido sulfhydrico et filtra; liquidum, ad siccitatem evaporatum, relinquit residuum, quod calcinatione evanescit.

Solutio aquosa 1:20, acido chlorhydrico diluto acidulata, ad summum turbari potest baryo nitrico.

Servetur ab humiditate defensum.

ZINCUM OXYDATUM.

Oxydum zinci.

Pulvis albus, levis, saporis expers, in aqua insolubilis, solubilis in acidis dilutis sine notabili effervescentia, magno calore assumens colorem flavum citricum, refrigeratione evanescentem.

Aliquot guttis cobalti nitrici soluti auctum, et fortiter calcinatum, zincum oxydatum refrigeratione præbet massam viridem.

1 gr. zinci oxydati calidi ex integro solvatur in 10 gr. acidi acetici diluti.

Hæc solutio, multo excedente ammonio hydrico soluto aucta, limpida et incolor manet; nec ammonio oxalico, nec natrio phosphorico præcipitatur.

Si solutioni 1:10 zinci oxydati in acido acetico diluto imponantur aliquot centimetra cubica acidi sulfhydrici soluti, annulus zinci sulfurati producitur ubi se tangunt, qui sit coloris nitide albi.

Agita 2 gr. zinci oxydati cum 20 c. c. aquæ et filtra; filtratum nonnisi leviter turbetur argento nitrico aut baryo nitrico et evaporatione relinquat residuum perexiguum.

Miscela 1 gr. zinci oxydati et 3 c. c. stanni chlorati soluti, convenienter agitata, non coloretur, etiam hora elapsa.

Servetur in lagenis bene clausis.

ZINCUM SULFURICUM.

Sulphas zinci.

Crystalla prismatica, absque colore, saporis styptici, efflorescentia, solubilia in 0,6 partibus aquæ, insolubilia in alcohole.

Solutio aquosa zinci sulfurici 1:10 limpida est et acide reagit; edit baryo nitrico præcipitatum album, insolubile in acido nitrico diluto, et, ope natrii hydrici, præcipitatum album, solubile in excedente reagente. Excedente natrio hydrico aucta, dein acido acetico supersaturata, efficit acido sulfhydrico præcipitatum album. Acido chlorhydrico aucta, non efficit præcipitatum acido sulfhydrico.

2 c. c. solutionis 1:10 auge æquali volumine acidi sulfurici et, post refrigerationem, ferro sulfurico soluto; non producatur coloratio fusca ubi se tangunt.

Solutio 0,5 gr. zinci sulfurici in 10 c. c. aquæ, aucta 5 c. c. ammonii hydrici soluti, post agitationem, sit limpida; non coloretur tractu temporis, et relinquat præcipitatum nitide album, si aucta fuerit acido sulfhydrico.

Cum excedente natrio hydrico calefactum, zincum sulfuricum non emittat ammoniam.

Solutio aquosa 1:20 nonnisi leviter turbetur argento nitrico.

2 gr. zinci sulfurici agita cum 10 c. c. alcoholis et, 10 minutis elapsis, filtra; liquidum, suo volumine aquæ dilutum, non rubefaciat laccam musci.

Miscela 1 gr. zinci sulfurici cum 3 c. c. stanni chlorati soluti non obfuscetur, etiam hora elapsa.

ZINGIBERIS RHIZOMA.

Rhizoma *Amomi zingiberis* (L.).

ZINGIBERIS TINCTURA.

R. Zingiberis rhizomatis	200
Alcoholis 80°.	1000

Fac tincturam, quæ saltem 1 p. c. residui sicci relinquat.

SECUNDA PARS

REAGENTIA.

ACIDI CHLORHYDRICI LIQUOR CENTINORMALIS.

Solutio aquosa, 0,365 gr. gazi acidi chlorhydrici pro litro, ad 15° continens.

In momento usus paratur, miscendo 10 c. c. acidi chlorhydrici liquoris decinormalis cum 90 c. c. aquæ.

ACIDI CHLORHYDRICI LIQUOR DECINORMALIS.

Solutio aquosa, 3,65 gr. gazi acidi chlorhydrici pro litro, ad 15° continens.

ACIDI CHLORHYDRICI LIQUOR NORMALIS.

Solutio aquosa, 36,5 gr. gazi acidi chlorhydrici pro litro, ad 15° continens.

ACIDI CHLORHYDRICI LIQUOR SEMINORMALIS.

Solutio aquosa, 18,25 gr. gazi acidi chlorhydrici pro litro, ad 15° continens.

ACIDI OXALICI LIQUOR NORMALIS.

Solutio aquosa, 63 gr. acidi oxalici crystallisati, $C^2H^2O^4 + 2H^2O$, pro litro, ad 15° continens.

ACIDI SULFURICI LIQUOR NORMALIS.

Solutio aquosa, 49 gr. acidi sulfurici H^2SO^4 pro litro, ad 15° continens.

ACIDUM ACETICUM.

Descriptum pagina 3.

ACIDUM ACETICUM DILUTUM.

Descriptum pagina 4.

ACIDUM CHLORHYDRICUM.

Descriptum pagina 6.

ACIDUM CHLORHYDRICUM DILUTUM.

Descriptum pagina 6.

ACIDUM IODICUM.

Crystalli decolores, in suo pondere aquæ solubiles.

Solutio aquosa 1 : 10 addito acido sulfurico diluto non flavescat; hæc miscela leviter obfuscatur si parva quantitate morphini hydrochlorici augeatur.

ACIDUM NITRICUM.

Descriptum pagina 9.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

Descriptum pagina 9.

ACIDUM NITRICUM FUMANS.

Liquidum limpidum, e rubescente flavum, ex toto avolans, in aere abundantes fumos fuscos, suffocantes spargens. P. S. : 1,45 ad 1,50.

Si 20 partibus aquæ diluatur, acidum nitricum fumans, sive baryo nitrico, sive argento nitrico auctum, non præcipitatur.

ACIDUM OXALICUM.

Crystalli decolores, solubiles in 10 partibus aquæ frigidæ, in 3 partibus aquæ bullientis et in 2,5 partibus alcoholis, parum solubiles in æthere. Acidum oxalicum calcinatione non relinquit residuum.

Solutio aquosa 1 : 20, ope ammonii hydrici soluti neutralisata, calcio chlorato edit præcipitatum album, in acido acetico insolubile, solubile in acido chlorhydrico.

Acido nitrico aucta, hæc solutio nec argento nitrico, nec aliquot guttis baryi nitrici turbatur; acido sulfhydrico non præcipitatur, etiamsi prævie supersaturetur ammonio hydrico soluto.

Cum excedente natrio hydrico calefactum, acidum oxalicum non emittit ammoniam.

Ad neutralisanda 10 c. c. de solutione aquosa acidi oxalici, 6,3 gr. acidi pro 100 c. c. continente, adhibenda sunt 10 c. c. de liquore normali natrii hydrici.

ACIDUM ROSOLICUM.

Hoc nomine venalis est miscela variarum substantiarum, inter quas acidum pararosolicum.

Acidum rosolicum prostat sub forma glebarum fragilium, amorpharum, coloris e rubro fusci, splendoris metallici, in aqua insolubilium, solubilium in alcohole; solutiones alcalorum causticorum solvunt acidum rosolicum, præbendo liquida coloris rubri coccinei.

Solutio alcoholica e fuscescente rubra est.

ACIDUM ROSOLICUM SOLUTUM.

R. Acidi rosolici	1
Alcoholis	99
	100

In momento usus parandum.

ACIDUM SULFHYDRICUM.

Gazum decolor, odoris nausei, parum solubile in aqua, enascens actione acidi chlorhydrici in ferrum sulfuratum.

ACIDUM SULFURICUM.

Descriptum pagina 11.

ACIDUM SULFURICUM DILUTUM.

Descriptum pagina 11.

ACIDUM SULFURICUM FUMANS.

Liquidum limpidum, generatim obfuscum, spissum ut oleosum, in aere spargens fumos albos, avolans absque residuo sufficienti calore.

ACIDUM SULFUROSUM.

R. Natrii bisulfurosi	1
Aquæ	9

Solve. Adde :

Acidi sulfurici diluti (leviter excedentis) circiter 6

In momento usus parandum.

ACIDUM TANNICUM SOLUTUM.

R. Acidi tannici	1
Aquæ	19

In momento usus parandum.

ACIDUM TARTARICUM SOLUTUM.

R. Acidi tartarici 1
Aquæ. 4

In momento usus parandum.

ACIDUM VANADICUM.

Massæ fuscæ, parum solubiles in aqua, solubiliores in aqua acido sulfurico aucta.

Solutio in aqua, acido sulfurico acidulata, cœrulescit in præsentia acidi sulfurosi; cum æthere et aliquot guttis hydrogenii peroxydati agitata, rubescit.

ACIDUM VANADICUM SOLUTUM.

R. Acidi vanadici pulveris . . . . . 0,10 gr.
Acidi sulfurici . . . . . 4,00 gr.

Balneo aquæ per 10 ad 15 minuta calefac. Sine refrigerari, adde paululum aquæ et cuncta intromitte in lagunculam.

Adde :

Aquæ quantum satis ut habeas . . . 50 c. c.

Agita, ut acidum vanadicum integre solvatur.

ÆTHER.

Descriptus pagina 15.

ALCOHOL ABSOLUTUS.

Liquidum limpidum, cum aqua omni ratione miscibile, decolor, laccam musci non mutans, ex integro volatile, flamma non fuliginosa flagrans. P. S. : 0,796 ad 0,800. Gradus ebullitionis : 78°5.

100 volumina alcoholis absoluti 99,7 ad 99,9 volumina alcoholis puri continent. Alcohol absolutus dotes puritatis in articulo *Spiritus* notatas præ se ferat oportet.

Servetur in lagenis bene clausis.

ALCOHOL AMYLICUS.

Liquidum decolor, odoris ingrati, in aqua parum solubile, ex toto avolans. P. S. : 0,814. Gradus ebullitionis : 129° ad 131°.

AMMONII HYDRICI LIQUOR NORMALIS.

Solutio aquosa, cujus litrum, ad 15°, 17 gr. gazi ammoniaci continet.

AMMONII THIOCYANATI LIQUOR DECINORMALIS.

Solutio aquosa, cujus litrum ad 15°, 7,6 gr. ammonii thiocyanati continet.

Ad hanc solutionem parandam, solve 8 gr. ammonii thiocyanati in aquæ 900 gr. Aliunde in vas vitreum mitte 25 c. c. liquoris argenti nitrici decinormalis, 10 c. c. acidi nitrici diluti et 1 c. c. ferri sulfurici oxydati ammoniati soluti.

In hanc miscelam guttatim funde et agita liquorem ammonii thiocyanati, donec liquidum rubrum evadat. Liquorem dilue tali modo, ut, ad obtinendum colorem rubrum, 25 c. c. adhibere opus sit.

AMMONIUM CARBONICUM.

Descriptum pagina 23.

AMMONIUM CARBONICUM SOLUTUM.

R. Ammonii carbonici	20
Aquæ	70
Ammonii hydrici soluti	10
	100

AMMONIUM CHLORATUM.

Descriptum pagina 23.

AMMONIUM CHLORATUM SOLUTUM.

R. Ammonii chlorati	1
Aquæ	9

AMMONIUM HYDRICUM SOLUTUM.

Descriptum pagina 24.

AMMONIUM MOLYBDÆNICUM.

Crystalla prismatica, coloris nullius aut leviter flavescentis, solubilia in aqua.

Solutio aquosa, aliquot guttis acidi nitrici tractata, præbet turbidum quid, quod in excedente reactivo dissolvitur; hæc solutio nonnisi leviter turbetur argento nitrico et baryo nitrico.

Solutio 1:10 ammonii molybdænici in ammonio hydrico soluto ammonio sulfurato non præcipitetur.

Solve 2 gr. ammonii molybdænici in miscela 5 gr. ammonii hydrici soluti et 5 gr. aquæ; solutionem obtineas limpidam, quæ, aucta 15 gr.

acidi nitrici et 15 gr. aquæ, ac dein per 2 horas digesta, non præbeat præcipitatum flavum.

AMMONIUM MOLYBDÆNICUM SOLUTUM.

R. Ammonii molybdænici 15
Aquæ 150

Solve. Solutum infunde in :

Acidi nitrici. 50

Per hebdomadam sepone et decantha.
Ad 50° calefactum, non turbetur hoc reagens.

AMMONIUM OXALICUM.

Crystalli decolores, solubiles in circiter 20 partibus aquæ.

Cum natrio hydrico soluto calefacta, solutio aquosa 1 : 50, emittit ammoniam. Ope calcii hydrici soluti, efficit præcipitatum album; acido sulfhydrico non præcipitatur. Acido nitrico acidulata, nec baryo nitrico, nec argento nitrico turbatur.

In lamina platinea calefactum, ammonium oxalicum absque residuo avolat.

AMMONIUM OXALICUM SOLUTUM.

R. Ammonii oxalici 1
Aquæ 24

AMMONIUM SULFOMOLYBDÆNICUM.

R. Ammonii molybdænici. . . . . 0,5 gr.
Acidi sulfurici . . . . . 195 gr.

Ammonium molybdænicum cum pauco acido sulfurico tritura, reliquum acidum adde et calefac, usquedum clarificetur.

AMMONIUM SULFURATUM.

R. Ammonii hydrici soluti 90
Aquæ 60

Acido sulfhydrico injecto satura. Adde :

Ammonii hydrici soluti 60
Aquæ 40

Ammonium sulfuratum, si aliquot guttæ addantur magnesio sulfurico soluto, non edat præcipitatum.

Servetur in lagunculis bene clausis.

AMMONIUM TARTARICUM SOLUTUM CUM AMMONIO HYDRICO.

℞. Acidi tartarici	3
Aquæ	12
Ammonii hydrici soluti	50

In momento usus parandum. Liquidum emittat fortem ammoniæ odorem.

AMMONIUM THIOCYANATUM.

Crystalla nullius coloris, in aqua et alcohole solubilia.

Natrio hydrico tractatum, ammonium thiocyanatum ammoniam emittit, ejus solutio aquosa ferro sesquichlorato colorem induit sanguineo rubrum. Ex integro solvatur in 10 partibus alcoholis absoluti. Calcinatum, æstimabile residuum non relinquat.

AMMONIUM THIOCYANATUM SOLUTUM.

Adhibe liquorem decinormalem, descriptum pagina 204.

AMYLUM SOLUTUM.

In tubo reactorio fortiter agita 1 gr. amyli cum 10 ad 15 c. c. aquæ et miscelam infunde in capsulam, in qua bullierunt 100 c. c. aquæ. Ebullitionem per aliquod tempus agitando sustine et filtra.

Amylum solutum celeriter alteratur.

ANHYDRIDUM ACETICUM.

Liquidum limpidum, odoris valde pungentis, ebulliens ad 137°. P. S. : 1,080.

Servetur in lagenis bene clausis.

ANILINUM.

Anilinum venale, rectificatum, nullius vel parvi coloris.

Servetur a luce remotum, in lagenis omnino plenis.

AQUA BROMATA.

Solutio aquosa, bromo saturata.

Super excedens bromum servanda, a luce remota.

AQUA CHLORATA.

Solutio aquosa chlori, 4 circiter partes pro 1000 continens.

Adde 25 gr. aquæ chloratæ solutioni 1 gr. kalii iodati in 5 gr. aquæ, dein iodum liberatum titula ope liquoris decinormalis natrii hypo-

sulfurosi, amylo soluto teste. Adhibenda sunt circiter 28 c. c. de solutione titulata ad decolorandum liquidum.

Aqua chlorata servetur a luce remota, in lagenis bene clausis.

AQUA IODATA.

Solutio aquosa, iodo saturata.

ARGENTI NITRICI LIQUOR DECINORMALIS.

Solutio aquosa, 17 gr. argenti nitrici pro litro, ad 15° continens.

ARGENTUM NITRICUM.

Descriptum pagina 31.

ARGENTUM NITRICUM SOLUTUM.

R. Argenti nitrici	1
Aquæ	19

AURUM CHLORATUM.

Massæ crystallinæ, aurantiacæ, deliquescentes, in aqua, in alcohole et in æthere solubiles.

Solutio aquosa 0,1 : 10, cum ferro sulfurico calefacta, pulverem e flavido fuscum seponit.

Si auro chlorato apponas bacillum vitreum, prævie ammonio hydrico soluto humectatum, non generentur vapores albi.

Si in crucibulo porcellaneo calcinetur, circiter 48 p. c. auri metallici relinquit.

AURUM CHLORATUM SOLUTUM.

R. Auri chlorati	1
Aquæ	19

BARYUM HYDRICUM.

Crystallisatione depuratum baryum hydricum venale.

Solutio aquosa 1 gr. ad ebullitionem cum excedente acido sulfurico diluto tractata, dein filtrata, præbet liquidum, evaporatione nullum residuum fixum relinquens.

BARYUM HYDRICUM SOLUTUM.

R. Baryi hydrici	1
Aquæ	19

Solve, filtra et serva in lagenis bene clausis.

BARYUM NITRICUM.

Crystalli decolores, duræ, in aere immutabiles, solubiles in 12,5 partibus aquæ, in alcohole insolubiles.

Baryum nitricum flammam colore viridi tingit.

Solutio aquosa 1:20 chartas reactivas non mutet. Si ebulliens augeatur excedente acido sulfurico diluto, et post sepositionem filtretur, præbet liquidum quod evaporatione nullum relinquere potest residuum.

BARYUM NITRICUM SOLUTUM.

R. Baryi nitrici.	1
Aquæ	19

BENZOLUM.

Liquidum decolor, odoris peculiaris, in aqua insolubile, ebulliens calore 80° ad 82°, omnino volatile. P. S. : 0,880 ad 0,890.

Si guttatim et caute infundas 1 c. c. benzoli in 5 c. c. acidi nitrici fumantis, apte refrigerati, liquidum fuscum induit colorem; addita aqua, sejunguntur guttulæ oleosæ, odorem nitrobenzoli spargentes.

BROMUM.

Descriptum pagina 43.

CADMIUM IODATUM.

R. Cadmii metallici pulveris	115
Aquæ	1200

Calefac et per partes successivas adde :

Iodi	250

Filtra solutionem decolorem, evapora et crystallisa.

Crystalli decolores, ut concha splendentes, solubiles in 1,1 parte aquæ frigidæ, solubiles in alcohole.

Solutio 1:50 miscelam amyli soluti et acidi sulfurici diluti non tingat cœruleo colore.

CADMIUM IODATUM SOLUTUM CUM AMYLO.

R. Amyli.	4
Aquæ	100

Ad ebullitionem eveche, dein adde :

R. Cadmii iodati	6
Aquæ	200

Filtra.

Liquidum, quinquagesies suo pondere aquæ dilutum, non cœrulescat acido sulfurico diluto.

CALCIS LAC.

Descriptum pagina 45.

CALCIUM CARBONICUM PRÆCIPITATUM.

Descriptum pagina 45.

CALCIUM CHLORATUM CRYSTALLISATUM.

Crystalli decolores, deliquescentes, valde solubiles in aqua et in alcohole.

Solutio aquosa 1:10 limpida est et cum chartis reactivis neutra; ab anhydrido carbonico defensa, non præcipitatur si ammonio hydrico soluto augeatur. Acido chlorhydrico acidulata, non turbatur baryo nitrico, non immediate cœrulescit kalio ferrocyanato et acido sulfhydrico non præcipitatur. Non turbatur calcio sulfurico soluto.

Ammonio oxalico edit præcipitatum album, solubile in acido chlorhydrico, et argento nitrico præcipitatum, insolubile in acido nitrico.

CALCIUM CHLORATUM SOLUTUM.

R. Calcii chlorati crystallisati	1
Aquæ.	9

CALCIUM HYDRICUM.

2 partes calcii oxydati, ope unius circiter partis aquæ tepidæ, hydrata.

CALCIUM HYDRICUM SOLUTUM.

Descriptum pagina 46.

CALCIUM SULFURICUM PRÆCIPITATUM.

R. Calcii chlorati crystallisati	100
Aquæ.	1000

Solve, filtra et adde :

Natrii sulfurici.	150
Aquæ.	1500

Agita et per 24 horas sepone. Præcipitatum super filtrum recollige, aqua calida lava et sicca calore non ultra 30°.

CALCIUM SULFURICUM SOLUTUM.

R. Calcii sulfurici præcipitati	5
Aquæ.	1000

Per aliquot dies in contactu serva, identidem agitando, et filtra. Solutio calefacta leviter turbetur.

CARBONEUM SULFURATUM DEPURATUM.

Descriptum pagina 54.

CHARTA EXPLORATORIA.

Ad præparandam chartam exploratoriam, immerge in tincturam laccæ musci fasceolas chartæ epistolaris genuinæ. Semel ac fasceolæ tinctura imbutæ sunt, desicca illas loco obscuro absque calore.

Charta exploratoria violaceo gaudet colore; contactu 1 guttæ miscelæ 1 c. c. liquoris decinormalis acidi chlorhydrici cum 100 c. c. aquæ, immediate rubescit; contactu autem 1 guttæ miscelæ 1 c. c. liquoris decinormalis natrii hydrici cum 100 c. c. aquæ prævie bullitæ, immediate cœrulescit.

Servetur a luce remota.

CHARTA EXPLORATORIA LUTEA.

Fasceolas chartæ epistolaris genuinæ immerge in tincturam curcumæ, ita ut apte imbuantur. Desicca loco obscuro absque calore.

Contactu 1 guttæ miscelæ 1 c. c. liquoris decinormalis natrii hydrici cum 25 c. c. aquæ prævie bullitæ, charta exploratoria lutea immediate obfuscetur.

Servetur a luce remota, in lagena clausa.

CHLOROFORMIUM.

Descriptum pagina 65.

COBALTUM NITRICUM.

Crystalluli rubræ, valde solubiles in aqua, cum borace præbentes margaritam cœruleam.

Solutio aquosa, acido nitrico diluto aucta, nec baryo nitrico nec argento nitrico præcipitatur. Acido sulfhydrico non edit præcipitatum obscurum.

COBALTUM NITRICUM SOLUTUM.

R. Cobalti nitrici	1
Aquæ.	49

CUPRUM TARTARICUM NATRONATUM SOLUTUM.

R. Cupri sulfurici . . . . . 3,463 gr.
Aquæ . . . . . 30 »

Solve et adde :

Kalii natrii tartarici . . . . . 17,3 gr.
Aquæ . . . . . 30 »
Natrii hydrici soluti. . . . . 30 »

Dilue ope :

Aquæ quantum satis ut habeas 100 c. c.

Liquidum limpidum cœruleum. Suo volumine aquæ auctum et ebullitum, non deponat cuprum oxydatum rubrum.

In momento usus parandum.

CURCUMÆ TINCTURA.

R. Curcumæ rhizomatis grossioris pulveris . . 10
Alcoholis 75

Per 24 horas frequenter agitando macera, dein per 2 horas circa 50° calefac, sine frigescat, cola et exprime. Colatura seposita post elimpidationem filtratur.

R. Hujus tincturæ. 10
Alcoholis 30
Aquæ. 40

Misce et filtra.

Servetur loco obscuro, in lagenis bene clausis.

EOSINUM IODATUM.

Pulvis crystallinus, ruber ut coccinum, insolubilis in aqua, acido chlorhydrico leviter acidulata, solubilis in alcohole, quem obscure rubro tingit colore, solubilis in æthere, cui ex rubescente flavum inducit colorem.

EOSINUM IODATUM SOLUTUM.

R. Eosini iodati 1
Alcoholis. 499

In lagenam e vitro albo genuino immitte 100 c. c. aquæ, dein ætherem sufficientem ut stratum altum 1 centimetri super aquam efficiat. Postquam addideris 1 guttam liquoris centinormalis acidi chlorhydrici et 5 guttas eosini iodati soluti, fortiter agita; aqua maneat expers coloris. Si addas deinde 2 guttas liquoris centinormalis natrii hydrici et fortiter agites, aqua pallide roseum assumat colorem.

FERRI PULVIS.

Descriptum pagina 86.

FERRUM SESQUICHLORATUM SOLUTUM.

Descriptum pagina 90.

FERRUM SULFURICUM.

Descriptum pagina 91.

FERRUM SULFURICUM OXYDATUM AMMONIATUM.

Crystalla octaedrica, pellucida, coloris pallide amethystini, absque odore, saporis styptici, solubilia in 3 partibus aquæ, insolubilia in alcohole.

Solutio aquosa, natrio hydrico calide tractata, ammoniam emittit et format præcipitatum fuscum.

Solutio aquosa, 1:20, acido chlorhydrico aucta, baryo nitrico edit præcipitatum album; addita solutione recenti kalii ferricyanati, non cœrulescat.

FERRUM SULFURICUM OXYDATUM AMMONIATUM SOLUTUM.

R. Ferri sulfurici oxydati ammoniati . . .	1
Aquæ	7
Acidi sulfurici diluti	2

In momento usus parandum.

FERRUM SULFURICUM SOLUTUM.

R. Ferri sulfurici	1
Aquæ	1
Acidi sulfurici diluti	1

In momento usus parandum.

FURFUROLUM.

Liquidum decolor, aut flavescens, quod conservatione obscuratur, odoris specialis, ebulliens ad 162°, solubile in 12 partibus aquæ, valde solubile in alcohole. Solutio alcoholica furfuroli 2:100, aliquot guttis anilini et 3 guttis acidi chlorhydrici aucta, rubescit.

Si miscelæ æqualium voluminum olei sesami et acidi chlorhydrici addas 2 ad 3 guttas solutionis alcoholicæ furfuroli 2:100, et fortiter agites, liquidum aquosum rubro-violaceo tingitur colore.

GLYCERINUM.

Descriptum pagina 95.

HÆMATOXYLINUM.

Aciculæ nullius vel flavescentis coloris, facile solubiles in aqua bulliente, in alcohole et in æthere. Solutio aquosa hæmatoxylini, natrio hydrico aucta, in aere violaceum sumit colorem.

Ad titulanda alcaloidea chinarum, in momento usus solve particulam hæmatoxylini in 1 c. c. alcoholis (vel solve 0,5 gr. in 100 c. c. alcoholis).

HYDRARGYRUM BICHLORATUM.

Descriptum pagina 102.

HYDRARGYRUM BICHLORATUM SOLUTUM CONCENTRATUM.

R.	Hydrargyri bichlorati.	1
	Aquæ	19

HYDRARGYRUM IODATUM CUM KALIO IODATO.

R.	Hydrargyri bichlorati.	13,53 gr.
	Aquæ.	500,00 gr.

Adde :

Kalii iodati	49,67 gr.
Aquæ quantum satis ut habeas 1000 c. c.	

HYDRARGYRUM NITRICUM OXYDULATUM SOLUTUM.

R.	Hydrargyri	100
	Acidi nitrici.	50
	Aquæ.	50

Per 24 horas in contactu serva et crystallos solve in decuplici pondere aquæ, quæ prius augeatur $^1/_{16}$ parte acidi nitrici.

INDICUM.

Massæ leves, opacæ et friabiles, coloris obscure cœrulei, quæ, si unguibus eradantur, in parte erasa metallicum præ se ferunt splendorem.

Lente solvitur indicum in acido sulfurico fumante.

Si subito calefiat in tubo probatorio, circa 300° spargit vapores purpureos. Incineratum, relinquit ad summum 20 p. c. partes cinerum.

INDICUM SOLUTUM.

R. Indici tenuis pulveris 1
Acidi sulfurici fumantis 5

Misce refrigerando. Per 24 horas in contactu serva, sepone in vase operto, dein miscelam agitando infunde in :

Aquæ 20

Hujus solutionis parvæ tantum quantitates præparentur decet; a luce remota servetur.

IODI LIQUOR DECINORMALIS.

Solutio aquosa, 12,7 gr. iodi liberi pro litro ad 15° continens.

R. Iodi purissimi et recenter sublimati . 12,70 gr.
Kalii iodati . . . . . 20 »
Aquæ. . . . . 100 »

Solve et aqua dilue ut habeas 1000 c. c.

IODUM ET HYDRARGYRUM BICHLORATUM SOLUTA.

R. Iodi . . . . . 25 gr.
Alcoholis . . . . Q. S. ut habeas 500 c. c.

Solve.

R. Hydrargyri chlorati . . . . . 30 gr.
Alcoholis . . . . Q. S. ut habeas 500 c. c.

Solve.

Utramque solutionem misce et per 24 horas sepone.

Solutio obtenta titulatur ante unamquamque iodi indicis determinationem. In hunc finem, 10 c. c. hujus liquidi auge 10 c. c. chloroformii, 10 c. c. kalii iodati 1 : 10 aqua soluti et 150 c. c. aquæ. Titula ope liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi, amylo soluto teste. Numerus centimetrorum cubicorum liquoris natrii hyposulfurosi per 0,0127 multiplicatus, indicat quot grammata iodi liberi in 10 c. c. solutionis iodatæ contineantur.

KALII HYDRICI LIQUOR ALCOHOLICUS SEMINORMALIS.

Solutio alcoholica, in litro ad 15°, 28 gr. kalii hydrici continens.

In momento usus, titula illam ope liquoris seminormalis acidi chlorhydrici.

Pro quibusdam experimentis, adhibeatur *liquor alcoholicus kalii hydrici* magis concentratus.

KALII HYDRICI LIQUOR NORMALIS.

Solutio aquosa, 56 gr. kalii hydrici KOH pro litro ad 15° continens.

KALIUM ACETICUM.

Descriptum pagina 115.

KALIUM BICHROMICUM.

Crystalli rubræ, in 10 partibus aquæ solubiles.

Solutio aquosa laccam musci rubefacit; zinco et acido sulfurico diluto aucta, viridi tingitur colore.

Solutio aquosa 1:20, acido nitrico aucta, nec baryo nitrico, nec argento nitrico edit præcipitatum. Excedente ammonio hydrico soluto aucta, non præcipitatur ammonio oxalico.

KALIUM BICHROMICUM SOLUTUM.

R. Kalii bichromici	1
Aquæ.	19

KALIUM BISULFURICUM.

Massæ crystallinæ, decolores, reactionis acidissimæ, solubiles in 2 partibus aquæ.

Si calefiat kalium bisulfuricum, liquescit ad 200°, aquam amittit majore calore fitque kalium pyrosulfuricum. Intensius calefactum, emittit anhydridum sulfuricum et mutatur in kalium sulfuricum neutrum.

KALIUM BROMICUM.

Crystalli decolores, in 15 partibus aquæ solubiles, quæ calcinatione mutantur in kalium bromatum. Solutio aquosa 1:20, acido sulfurico diluto aucta, non flavescat.

Pondera circiter 0,10 gr. kalii bromici, prævie calore 100° siccati, solve illa in 15 c. c aquæ; adde 2 gr. kalii iodati, dein miscelam 10 c. c. acidi chlorhydrici et 5 c. c. aquæ. Per aliquod tempus in contactu serva, dein iodum liberum titula ope liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi. Numerus centimetrorum cubicorum hujus liquoris ad decolorandum liquidum necessarius, si per 0,002784 multiplicetur, indicat quantitatem kalii bromici in pondere substantiæ adhibitæ existentis.

KALIUM CARBONICUM.

Descriptum pagina 117.

KALIUM CARBONICUM SOLUTUM.

R. Kalii carbonici	11
Aquæ	20

KALIUM CHROMICUM.

Crystalli flavæ, reactionis leviter alcalinæ.

Pro experimento, vide articulum *Kalium bichromicum*.

KALIUM CHROMICUM SOLUTUM.

R. Kalii chromici	1
Aquæ	19

KALIUM CYANATUM.

Massæ albæ, in aere odorem acidi cyanhydrici spargentes, reactionis alcalinæ, deliquescentes, in 2 partibus aquæ frigidæ solubiles.

Solutionem aquosam, ferro sulfurico, 1 gutta ferri sesquichlorati soluti et natrio hydrico auctam per aliquod tempus fortiter agita; addito excedente acido chlorhydrico, editur præcipitatum cœruleum.

Solutio aquosa 1:20, addito excedente acido chlorhydrico, non vivide effervescat; si huic liquori acido addas deinde plumbum aceticum, miscela non obscuretur. Solutio chlorhydrica ferro sesquichlorato non rubescit nec baryo nitrico præcipitatur.

Servetur in lagenis bene clausis.

KALIUM FERRICYANATUM.

Crystalli rubræ, solubiles in 2,5 partibus aquæ, insolubiles in alcohole. Solutio aquosa edit, ope excedentis acidi tartarici, præcipitatum album crystallinum, et, ope ferri sulfurici, præcipitatum cœruleum.

Solutio aquosa 1:100, cum crystallis prævie lotis præparata, non induit colorem cœruleum ferro sesquichlorato addito.

Servetur a luce remotum.

KALIUM FERRICYANATUM SOLUTUM.

R. Kalii ferricyanati crystallorum	1
Aquæ	19

Crystallos lava ope paucæ aquæ, dein solve eas in quantitate aquæ præscripta.

In momento usus parandum.

KALIUM FERROCYANATUM.

Crystalli flavæ, solubiles in circiter 4 partibus aquæ frigidæ, insolubiles in alcohole.

Solutio aquosa cum chartis reactivis neutra est. Excedente acido tartarico edit præcipitatum album crystallinum et ferro sesquichlorato præcipitatum cœruleum.

Kalium ferrocyanatum non effervescat si humectetur acido sulfurico diluto.

KALIUM FERROCYANATUM SOLUTUM.

R. Kalii ferrocyanati	1
Aquæ	9

KALIUM HYDRICUM SOLUTUM.

Solutio aquosa, continens 14 ad 15 p. c. kalii hydrici partes. P. S. : 1,13 ad 1,14.

1 pars kalii hydrici soluti, æquali volumine aquæ diluta et excedente acido tartarico aucta, edit, post agitationem, præcipitatum crystallinum album.

Kalium hydricum solutum fervefac cum 4 partibus calcii hydrici soluti et filtra; liquidum filtratum, infusum in excedens acidum nitricum quod 2 voluminibus aquæ diluatur, non emittat anhydridum carbonicum.

KALIUM IODATUM SOLUTUM CUM IODO.

R. Iodii	5
Kalii iodati	10
Aquæ	Q. S.

Tritura iodum et kalium iodatum cum paululo aquæ usque ad solutionem. Adde aquam ut obtineas 100 c. c.

KALIUM OXALICUM.

Crystalli decolores quæ chartas reactivas non mutant, et in 3 partibus aquæ solvuntur.

Cum acido sulfurico calefactum, kalium oxalicum destruitur emittendo anhydridum carbonicum et carboneum oxydatum, quin liquidum obfuscetur aut nigrescat.

Solutio aquosa 1 : 10, ope calcii chlorati, edit præcipitatum album, in acido acetico insolubile, in acido chlorhydrico solubile.

KALIUM PERMANGANICUM SOLUTUM.

R. Kalii permanganici	1
Aquæ	999
	1000

KALIUM SULFURICUM.

Descriptum pagina 121.

LACCÆ MUSCI TINCTURA.

R. Laccæ musci pulveris tenuis	Q. V.
Aquæ bullientis	Q. S.

Laccam musci aqua bulliente exhauri, filtra, liquidum acido acetico supersatura et ad consistentiam extracti evapora. Extractum obtentum in lagenam immitte, magnam quantitatem alcoholis 90° adde et iteratim agita. Filtra, alcohole lava et præcipitatum solve in tanta aqua bulliente ut 3 guttæ soluti 100 c. c. aquæ aperte colorent.

Liquidum obtentum violaceo gaudet colore. 3 guttas adde 2 portionibus 100 c. c. aquæ prævie bullitæ. Prima portio, aucta 1 gutta liquoris decinormalis natrii hydrici, agitatione aperte cœrulescat.

Alteram portionem eodem modo tracta, sed, loco liquoris alcalini, assume 1 guttam liquoris decinormalis acidi chlorhydrici; liquidum induat rubrum colorem.

Si laccæ musci tinctura his exigentiis non respondeat, præscriptas ipsi subdes notas, caute addendo sive de liquore decinormali natrii hydrici, sive de liquore decinormali acidi chlorhydrici, ita ut prænotatis qualitatibus gaudeat.

Laccæ musci tinctura servetur loco obscuro, in lagena epistomio perforato munita, per cujus aperturam transit tubus vitreus, obturamento e gossypio clausus.

MAGNESIUM SULFURICUM SOLUTUM.

R. Magnesii sulfurici	1
Aquæ	9

METHYLANILINUM.

Substantia quæ prostat venalis sub nomine *methylanilinum violaceum* 2 B.

METHYLANILINUM SOLUTUM.

R. Methylanilini	0,1
Aquæ	100

NATRII CHLORATI LIQUOR DECINORMALIS.

Solutio aquosa, 5,85 gr. natrii chlorati puri et sicci pro litro ad 15° continens.

NATRII HYDRICI LIQUOR NORMALIS.

Solutio aquosa, 40 gr. natrii hydrici $NaOH$, pro litro ad 15° continens.

NATRII HYPOSULFUROSI LIQUOR DECINORMALIS.

Solutio aquosa, 24,8 gr. natrii hyposulfurosi crystallisati $Na^2S^2O^3 + 5H^2O$, pro litro ad 15° continens.

10 c. c. hujus liquoris præcise 10 c. c. liquoris decinormalis iodi, ad finem experimenti aucta aliquot guttis amyli soluti, decolorent.

NATRIUM BICARBONICUM.

Descriptum pagina 138.

NATRIUM BISULFUROSUM SOLUTUM.

Solutio aquosa natrii bisulfurosi, pro 100 partibus circiter 30 partes natrii bisulfurosi continens.

NATRIUM CARBONICUM.

Descriptum pagina 139.

NATRIUM CARBONICUM SOLUTUM.

R. Natrii carbonici	1
Aquæ	4

NATRIUM HYDRICUM FUSUM.

Massæ albæ, siccæ, densæ, fracturæ crystallinæ, humorem aeris attrahentes.

Solutio 1 gr. natrii hydrici fusi in 2 c. c. aquæ cum 10 c. c. alcoholis agitatæ, nonnisi minimum relinquat residuum, post aliquot momenta.

Si miscela solutionis 1 gr. natrii hydrici fusi in 2 c. c. aquæ cum 15 c. c. calcii hydrici soluti ebulliat et filtretur, liquidum filtratum, infusum in excedens acidum nitricum, 2 voluminibus aquæ dilutum, non emittat anhydridum carbonicum.

Solve 1 gr. natrii hydrici fusi in excedente acido sulfurico diluto, 3 centrimetris cubicis hujus solutionis adde æquale volumen acidi

sulfurici, dein ad superficiem liquidi caute infunde 1 c. c. ferri sulfurici soluti; non appareat zona fusca ubi se tangunt.

Solutio 1:50, acido nitrico supersaturata, nonnisi leviter turbetur baryo nitrico et argento nitrico.

Solve 4 gr. natrii hydrici fusi in aqua et ad 100 c. c. dilue; indiges ad minus 9 c. c. liquoris normalis acidi chlorhydrici ad 10 c. c. hujus liquidi saturanda.

Servetur in lagenis bene clausis.

NATRIUM HYDRICUM SOLUTUM.

Solutio aquosa natrii hydrici circiter 20 p. c. P. S. 1,22-1,23.

Ad ebullitionem calefac miscelam 1 partis natrii hydrici soluti pro 4 partibus calcii hydrici soluti et filtra. Liquidum filtratum, infusum in excedens acidum nitricum 2 voluminibus aquæ dilutum, anhydridum carbonicum non emittat

NATRIUM PHOSPHORICUM.

Descriptum pagina 142.

NATRIUM PHOSPHORICUM SOLUTUM.

R. Natrii phosphorici	1
Aquæ	19

NESSLER LIQUOR.

Solve 5 gr. kalii iodati in 5 gr. aquæ calidæ; adde solutionem calidam concentratam hydrargyri bichlorati, donec præcipitatum rubrum sic ortum non jam agitatione solvatur. Filtra, adde solutionem 15 gr. kalii hydrici in 30 gr. aquæ; dilue ad 100 c. c. addendo aquam, dein adhuc adde 0,5 c. c. hydrargyri bichlorati soluti. Post agitationem, sepone et decantha liquidum limpidum.

Servetur in lagena bene clausa.

PETROLEINUM.

Descriptum pagina 149.

PHENOLPHTHALEINUM.

Pulvis crystallinus, albus aut ex flavido albescens, liquescens ad 250-253°, ægre solubilis in aqua, solubilis in alcohole. Absque residuo flagrat.

Solutio alcoholica colore caret. Solutio natrii hydrici solvit phenolphthaleinum præbendo liquidum rubri coloris.

PHENOLPHTHALEINUM SOLUTUM.

R. Phenolphthaleini	1
Alcoholis 70°	99
	100

Solutio sit limpida et decolor.
Servetur in lagena bene clausa.

PLATINUM CHLORATUM.

Massæ crystallinæ e rubro fuscæ, humorem aeris valde attrahentes. Solutio aquosa 1:20. cum parva quantitate kalii chlorati calefacta, edit concentratione et refrigeratione præcipitatum crystallinum e flavo fuscum kalii chloroplatinici, in alcohole insolubile. Acido chlorhydrico et stanno chlorato aucta, obscure fuscum assumit colorem.

2 c. c. solutionis 1:10 augeantur 2 c. c acidi sulfurici, dein prudenter addantur 2 c. c. ferri sulfurici soluti; non appareat zona coloris obscuri ubi se tangunt.

PLATINUM CHLORATUM SOLUTUM.

R. Platini chlorati.	1
Aquæ	19

PLUMBUM ACETICUM.

Descriptum pagina 153.

PLUMBUM ACETICUM SOLUTUM.

R. Plumbi acetici	1
Aquæ	9

Solve et filtra.

PLUMBUM SUB-ACETICUM SOLUTUM.

Descriptum pagina 154.

SPIRITUS.

Alcohol.

Descriptum pagina 174.

STANNUM CHLORATUM.

Crystalla prismatica, absque colore, in liquidum limpidum solubilia in aqua et in alcohole, acido chlorhydrico auctis.

Solutio stanni chlorati 1:50 in aqua, acido chlorhydrico aucta, non præcipitetur baryo nitrico.

Cum excedente acido sulfhydrico tractata, ac dein filtrata, præbet liquidum, quod, evaporatum et calcinatum, æstimabile residuum non relinquat.

Cum natrio hydrico soluto calefactum, stannum chloratum ne ammoniam emittat.

Per aliquot minuta 2 gr. stanni chlorati calefac cum 10 c. c. acidi chlorhydrici concentrati; solutio sit incolor.

STANNUM CHLORATUM SOLUTUM.

R. Stanni chlorati	5
Acidi chlorhydrici.	1

Misce et gazo acido chlorhydrico sicco satura. Sepone et per asbestum filtra.

Liquidum pallide flavum, valde refringens, in aere fumans. P. S. : 1,900 ad minus.

Miscela 1 voluminis stanni chlorati soluti cum 10 voluminibus alcoholis 90°, etiam hora elapsa, non turbetur.

Baryo nitrico non turbetur stannum chloratum solutum, 10 voluminibus aquæ dilutum.

Si 2 guttæ stanni chlorati soluti addantur 10 centimetris cubicis aquæ, liquidum nec obfuscetur, nec obscurum edat præcipitatum.

Servetur in lagunculis epistomio vitreo clausis, et omnino plenis.

SULPHUR.

Descriptum pagina 181.

ZINCUM.

Zincum metallicum depuratum venale.

Aliquot grammata zinci, in lagenam apparatus Marshiani introducta, et per 15 minuta calefacta, non præbeant annulum arsenici; hydrogenium emissum non flagret viridi flamma.

Limaturam zinci obtines, si zincum cradas ope limæ omnino nitidæ.

ZINCUM OXYDATUM.

Descriptum pagina 197.

Methodi adhibendæ in determinandis quibusdam quantitatibus chemice constantibus.

ÆTHERIS INDEX.

Ætheris index obtinetur sectando differentiam inter indicem saponificationis et indicem acidi.

ACIDI INDEX.

2 gr. substantiæ cujus analysim suscipis misce in bulbulo cum 20 c. c. alcoholis; ad ebullitionem calefac; adde 2 guttas phenolphthaleini soluti et usque ad levem rubedinem titula, ope liquoris alcoholici seminormalis kalii hydrici.

Acidi index æquivalet numero milligrammatum kalii hydrici adhibitorum ad neutralisandum acidum liberum 1 gr. substantiæ analysi subjectæ.

IODI INDEX.

In lagenam 200 c. c., epistomio vitreo clausam, immitte 0,40 gr. de substantia tentanda; solve in 10 c. c. chloroformii et adde 25 c. c. iodi et hydrargyri bichlorati solutorum. Contactum serva in lagena clausa, frequenter agitando; si miscela decoloratur, iterum adde 10 c. c., aut amplius, hujus solutionis iodatæ. Contactu per 2 horas aut per tempus ad unamquamque determinationem præscriptum, servato, miscelæ adde 10 c. c. solutionis kalii iodati 1:10, dein 150 c. c. aquæ. Agita et adde de liquore decinormali natrii hyposulfurosi usque ad flavescentiam; tunc immitte 1 c. c. amyli soluti et perge computando, donec evanescat coloratio cærulea.

Numerus centimetrorum cubicorum liquoris decinormalis natrii hyposulfurosi adhibitorum, per 0,0127 multiplicatus, indicat quantitatem iodi non absorptam; hanc summam abstrahe a quantitate iodi liberi quæ operationi inserviit; differentiam grammatibus expressam per 250 multiplica. Numerus obtentus iodi indicem constituit.

SAPONIFICATIONIS INDEX.

In bulbulum immitte 1 gr. substantiæ et 20 c. c. liquoris alcoholici seminormalis kalii hydrici; bulbulo impone apparatum refrigeratorium cum refluxu et per horam moderatæ ebullitioni submitte; excedens kalium hydricum adhibitum titula, ope liquoris semi normalis acidi chlorhydrici, teste phenolphthaleino.

Siquidem notum est quantum kalii hydrici operationi inserviverit, quantitas absorpta per differentiam determinatur.

Saponificationis index constituitur numero milligrammatum kalii hydrici, ad saponificationem 1 gr. substantiæ adhibibitorum.

FORMULÆ CHEMICÆ.

Acetanilidum	$C^6H^5.NH(C^2H^3O)$.
Acetylparamidophenolum salicylicum.	$C^6H^4(NH.COCH^3)O.OC.C^6H^4(OH)$.
Acidum benzoicum	$C^6H^5.COOH$.
— boricum	H^3BoO^3.
— carbolicum	$C^6H^5.OH$.
— citricum	$C^3H^4.OH.(COOH)^3 + H^2O$.
— gallicum	$C^6H^2.(OH)^3.COOH + H^2O$.
— iodicum	HIO^3.
— oxalicum	$C^2H^2O^4 + 2H^2O$.
— pyrogallicum.	$C^6H^3.(OH)^3$.
— salicylicum	$C^6H^4.OH.COOH$.
— tartaricum	$C^2H^2.(OH)^2.(COOH)^2$.
— vanadicum	Vd^2O^5.
Æther	$C^2H^5.O.C^2H^5$.
Aldehydum benzoicum	$C^6H^5.COH$.
Alumen	$Al^2K^2(SO^4)^4 + 24H^2O$.
Aluminium sulfuricum	$Al^2(SO^4)^3 + 18H^2O$.
Ammonium chloratum	NH^4Cl.
— molybdænicum	$(NH^4)^6Mo^7O^{24} + 4H^2O$.
— oxalicum.	$C^2(NH^4)^2O^4 + H^2O$.
— thiocyanatum	NH^4CNS.
Anetholum	$C^6H^4\left\{\begin{array}{l}OCH^3(1).\\CH:CH.CH^3(4).\end{array}\right.$
Anhydridum aceticum	$CH^3.CO.O.CO.CH^3$.
— arsenicosum	As^2O^3.
— chromicum.	CrO^3.
Antipyrinum	$\left\{\begin{array}{l}\qquad N.C^6H^5.\\CH^3.N\,\vert\!\wedge\!\vert\,CO.\\CH^3.C=CH.\end{array}\right.$
— salicylicum.	$C^{11}H^{12}N^2O.COOH.OH.C^6H^4$.
Apomorphinum hydrochloricum . .	$C^{17}H^{17}NO^2.HCl$.
Argentum nitricum	$AgNO^3$.
Atropinum sulfuricum	$(C^{17}H^{23}NO^3)^2H^2SO^4 + H^2O$.

Aurum chloratum	$AuCl^3 + HCl + 4H^2O$.
Baryum hydricum	$Ba(OH)^2 + 8H^2O$.
— nitricum	$Ba(NO^3)^2$.
Benzolum	C^6H^6.
Biiodobithymolum.	$< C^6H^2.(CH^3).(C^3H^7).OI.$ / $C^6H^2.(CH^3).(C^3H^7).OI.$
Bismuthum subgallicum	$C^6H^2(OH)^3.COO(BiO) + H^2O$.
— subsalicylicum . . .	$C^6H^4.OH.COO.BiO$.
Borax	$Na^2Bo^4O^7 + 10H^2O$.
Bromoformium.	$CHBr^3$.
Calcium carbonicum præcipitatum.	$CaCO^3$.
— chloratum crystallisatum .	$CaCl^2 + 6H^2O$.
— glycerino-phosphoricum .	$PO^3CaOC^3H^5(OH)^2 + H^2O$.
— hypophosphorosum. . .	$Ca(H^2PO^2)^2$.
— phosphoricum	$CaHPO^4 + 2H^2O$.
— sulfuricum ustum . . .	$CaSO^4$.
Cantharidinum.	$C^{10}H^{12}O^4$.
Carboneum sulfuratum depuratum.	CS^2.
Chininum hydrobromicum . . .	$C^{20}H^{24}N^2O^2.HBr + H^2O$.
— hydrochloricum . . .	$C^{20}H^{24}N^2O^2.HCl + 2H^2O$.
— sulfuricum	$(C^{20}H^{24}N^2O^2)^2H^2SO^4 + 7\,^1/_2H^2O$.
Chloralum hydratum	$CCl^3.COH + H^2O$.
Chloroformium.	$CHCl^3$.
Cobaltum nitricum	$Co(NO^3)^2 + 6H^2O$.
Cocainum hydrochloricum . . .	$C^{17}H^{21}NO^4.HCl$.
Codeinum phosphoricum. . . .	$C^{18}H^{21}NO^3.H^3PO^4 + 2H^2O$.
Coffeinum	$C^5H(CH^3)^3N^4O^2 + H^2O$.
Cuprum sulfuricum	$CuSO^4 + 5H^2O$.
Eosinum iodatum	$C^{20}H^8I^4O^5$.
Eucalyptolum	$C^{10}H^{18}O$.
Eugenolum.	C^6H^3 { $CH^2.CH:CH^2$ (1). $O.CH^3$ (3). OH (4).
Ferrum lacticum	$(C_2H_4.OH.COO)^2Fe + 3H_2O$.
— sulfuricum	$FeSO^4 + 7H^2O$.
— — oxydatum ammoniatum.	$Fe(NH^4)(SO^4)^2 + 12H^2O$.
Furfurolum.	$C^5H^4O^2$.
Guajacolum.	C^6H^4 { OCH^3 (1). OH (2).

Guajacolum carbonicum	$CO < \begin{matrix} O.C^6H^4.OCH^3. \\ O.C^6H^4.OCH^3. \end{matrix}$
Homatropinum hydrobromicum .	$C^{16}H^{21}NO^3.HBr.$
Hydrargyrum bichloratum . .	$HgCl^2.$
— biiodatum rubrum .	$HgI^2.$
— cyanatum	$Hg(CN)^2.$
— monochloratum . .	$Hg^2Cl^2.$
— monoiodatum flavum	$Hg^2I^2.$
— oxydatum flavum .	$HgO.$
— oxydatum rubrum .	$HgO.$
Hydrastininum hydrochloricum. .	$C^{11}H^{11}NO^2.HCl.$
Iodoformium	$CHI^3.$
Kalium aceticum	$C^2H^3O^2K.$
— bicarbonicum.	$KHCO^3.$
— bichromicum. . . .	$K^2Cr^2O^7.$
— bitartaricum	$C^4H^5KO^6.$
— bromatum.	$KBr.$
— bromicum.	$KBrO^3.$
— carbonicum	$K^2CO^3.$
— chloricum.	$KClO^3.$
— chromicum	$K^2CrO^4.$
— ferricyanatum	$K^3Fe(CN)^6.$
— ferrocyanatum	$K^4Fe(CN)^6 + 3H^2O.$
— iodatum	$KI.$
— natrium tartaricum. . .	$C^4H^4KNaO^6 + 4H^2O.$
— nitricum	$KNO^3.$
— oxalicum	$C^2K^2O^4 + H^2O.$
— permanganicum	$K^2Mn^2O^8.$
— sulfuricum	$K^2SO^4.$
Lithium carbonicum	$Li^2CO^3.$
— salicylicum	$C^6H^4.OH.COOLi.$
Magnesium oxydatum	$MgO.$
— sulfuricum	$MgSO^4 + 7H^2O.$
Mentholum	$C^{10}H^{19}.OH.$
Methylsulfonalum	$\left.\begin{matrix} CH^3 \\ C^2H^5 \end{matrix}\right\} > C < \begin{matrix} SO^2.C^2H^5. \\ SO^2.C^2H^5. \end{matrix}$
Methylum salicylicum	$C^6H^4.OH.COOCH^3.$
Morphinum hydrochloricum. . .	$C^{17}H^{19}NO^3.HCl + 3H^2O.$
Naphtholum β	$C^{10}H^7OH$

Natrium arsenicicum	$Na^2 H As O^4 + 7 H^2 O$.
— benzoicum	$C^6 H^5 . C O O Na + H^2 O$.
— bicarbonicum	$Na H C O^3$.
— bromatum	$Na Br$.
— carbonicum	$Na^2 C O^3 + 10 H^2 O$.
— chloratum	$Na Cl$.
— hydrosulfuratum . . .	$Na H S$.
— hypophosphorosum . .	$Na H^2 P O^2 + H^2 O$.
— iodatum	$Na I$.
— phosphoricum	$Na^2 H P O^4 + 12 H^2 O$.
— salicylicum	$C^6 H^4 . O H . C O O Na$.
— sulfuricum	$Na^2 S O^4 + 10 H^2 O$.
Phenacetinum	$C^6 H^4 \begin{cases} O C^2 H^5 (1). \\ N H . C^2 H^5 O (4). \end{cases}$
Phenolphthaleinum	$C^{20} H^{14} O^4$.
Phenolum salicylicum	$C^6 H^4 . O H . C O O C^6 H^5$.
Physostigminum salicylicum . .	$C^{15} H^{21} N^3 O^2 . C O O H . O H . C^6 H^4$.
Pilocarpinum hydrochloricum . .	$C^{11} H^{16} N^2 O^2 . H Cl$.
Platinum chloratum	$Pt Cl^4 + 2 H Cl + 6 H^2 O$.
Plumbum aceticum	$(C^2 H^3 O^2)^2 Pb + 3 H^2 O$.
Resorcinum.	$C^6 H^4 \left\{ \begin{matrix} O H \\ O H \end{matrix} \right\} 1.3$.
Saccharinum	$C^6 H^4 < \begin{matrix} C O \\ S O^2 \end{matrix} > N H$.
Santoninum.	$C^{15} H^{18} O^3$.
Stannum chloratum	$Sn Cl^2 + 2 H^2 O$.
Stibium sulfuratum aurantiacum .	$Sb^2 S^3$.
Strychninum nitricum	$C^{21} H^{22} N^2 O^2 . H N O^3$.
Sulfonalum	$\left\{ \begin{matrix} C H^3 \\ C H^3 \end{matrix} \right> C < \begin{matrix} S O^2 . C^2 H^5 . \\ S O^2 . C^2 H^5 . \end{matrix}$
Tartarus stibiatus	$C^4 H^4 K (Sb O) O^6 + {}^1/_2 H^2 O$.
Thymolum	$C^6 H^3 \begin{cases} C H^3 (1). \\ C^3 H^7 (4). \\ O H (3). \end{cases}$
Zincum oxydatum	$Zn O$.
— sulfuricum	$Zn S O^4 + 7 H^2 O$.

Tabula solubilitatis medicaminum chemicorum in aqua, in alcohole 90° et in æthere.

Quantitates substantiarum solventium generatim indicantur numeris proximioribus.

MEDICAMINA.	AQUA.	ALCOHOL.	ÆTHER.
Acetanilidum	230	3,5	18
Acetylparamidophenolum salicylicum	Insolubile.	Parum solubile	Solubile.
Acidum benzoicum	380	3	3
— boricum	26	16	Parum solubile
— carbolicum	15	Valde solubile.	Valde solubile.
— citricum	1	1	50
— gallicum	100	5	40
— oxalicum	10	2,5	Parum solubile
— pyrogallicum	2	1	2
— salicylicum	500	1	1
— tannicum	5	2	Insolubile in æthere absoluto.
— tartaricum	0,8	2,5	50
Alumen	11	Insolubile.	Insolubile.
Aluminium sulfuricum	2	Insolubile.	Insolubile.
Ammonium carbonicum	5	Insolubile.	"
— chloratum	3	Insolubile.	Insolubile.
Anhydridum arsenicosum	111	Parum solubile	Insolubile.
— chromicum	Valde solubile.	"	"
Antipyrinum	1	1	50
— salicylicum	200	Solubile.	Parum solubile
Apomorphinum hydrochloricum	40	40	Insolubile.
Argentum nitricum	0,6	10	Insolubile.
Atropinum sulfuricum	1	3	Insolubile.
Biiodobithymolum	Insolubile.	Parum solubile	Solubile.
Bismuthum subgallicum	Insolubile.	Insolubile.	Insolubile.

MEDICAMINA.	AQUA.	ALCOHOL.	ÆTHER.
Bismuthum subsalicylicum	Insolubile.	Insolubile.	Insolubile.
— subnitricum	Insolubile.	Insolubile.	Insolubile.
Borax	17	Insolubilis.	Insolubilis.
Bromum	30	Solubile.	Solubile.
Calcium glycerino-phosphoricum	20	Insolubile.	»
— hypophosphorosum	6	Insolubile.	Insolubile.
Cantharidinum	Valde parum solubile.	Parum solubile	560
Chininum hydrobromicum	60	1	»
— hydrochloricum	34	3	»
— sulfuricum	800	Solubile.	»
Chloralum hydratum	1	1	5
Cocainum hydrochloricum	0,75	Solubile.	Insolubile.
Codeinum phosphoricum	4	100	»
Coffeino-natrium salicylicum	2	50	»
Coffeinum	80	50	550
Cuprum sulfuricum	3,5	Insolubile.	»
Ferri-kalium tartaricum	Solubile.	Insolubile.	»
Ferrum citricum	Solubile.	Insolubile.	Insolubile.
— lacticum	40	»	»
— sulfuricum	2	Insolubile.	»
Formaldehydum polymerisatum	»	Insolubile.	Insolubile.
Glycerinum	Valde solubile.	Valde solubile.	Insolubile.
Guajacolum	60	Valde solubile.	Valde solubile.
— carbonicum	Insolubile.	Parum solubile	Solubile.
Homatropinum hydrobromicum	2	»	»
Hydrargyrum bichloratum	16	3	Solubile.
— biiodatum rubrum	Insolubile.	130	Solubile.
— cyanatum.	3	15	Parum solubile
— monochloratum	Insolubile.	Insolubile.	Insolubile.
— monoiodatum flavum . . .	Insolubile.	Insolubile.	Insolubile.

MEDICAMINA.	AQUA.	ALCOHOL.	ÆTHER.
Hydrastininum hydrochloricum	Valde solubile.	Valde solubile.	Parum solubile
Iodoformium	Insolubile.	50	6
Iodum	5000	10	3
Kalium aceticum	Valde solubile.	2	"
— bicarbonicum	4	Insolubile.	"
— bitartaricum.	200	Insolubile.	"
— bromatum	2	200	"
— carbonicum	1	Insolubile.	"
— chloricum	16	130	"
— hydricum	Valde solubile.	5	"
— iodatum	0,75	12	"
— natrium tartaricum	1,4	"	"
— nitricum	4	"	"
— permanganicum	16	"	"
— sulfuricum	10	Insolubile.	"
Kreosotum	500	Valde solubile.	Valde solubile.
— carbonicum.	Insolubile.	Solubile.	"
Lithium carbonicum.	80	Insolubile.	"
— salicylicum	1	5	"
Magnesium sulfuricum	1	"	"
Mentholum	Insolubile.	Solubile.	Solubile.
Methylsulfonalum	320	Valde solubile.	Valde solubile.
Morphinum hydrochloricum	25	50	Insolubile.
Naphtholum β	1000	Valde solubile.	Valde solubile.
Natrium arsenicicum	4	Parum solubile	"
— benzoicum	2	24	"
— bicarbonicum	12	Insolubile.	"
— bromatum	2	5	"
— carbonicum	1,6	Insolubile.	"
— chloratum	2,7	Insolubile.	"

MEDICAMINA.	AQUA.	ALCOHOL.	ÆTHER.
Natrium hypophosphorosum	1	30	»
— iodatum.	0,6	3	»
— phosphoricum	5,8	»	»
— salicylicum.	1	6	»
— sulfuricum	3	Insolubile.	»
Petroleinum	Insolubile.	3	Solubile.
Phenacetinum.	1400	16	»
Phenolum salicylicum	»	10	Valde solubile.
Phosphorus	Insolubilis.	Parum solubilis.	Parum solubilis.
Physostigminum salicylicum	85	12	»
Pilocarpinum hydrochloricum.	2	3	Parum solubile
Plumbum aceticum	3	30	»
Resorcinum	1	1	1
Ricini oleum	Insolubile.	3	Valde solubile.
Saccharinum	250	30	100
Saccharum.	Valde solubile.	»	»
— lactis.	7	»	»
Santoninum	5000	44	»
Strychninum nitricum	90	70	Insolubile.
Sulfonalum	500	15	135
Tannas albumini	Insolubilis.	Insolubilis.	Insolubilis.
Tartarus stibiatus	17	Insolubilis.	»
Theobrominum natrio-salicylicum . . .	1	»	»
Thymolum.	Valde parum solubile.	Valde solubile.	Valde solubile.
Veratrinum	Valde parum solubile.	4	Solubile.
Zincum chloratum	Valde solubile.	»	»
— sulfuricum	0,6	Insolubile.	»

Tabula C. Windisch, pro miscelis alcoholis et aquæ, indicans rationem inter pondus specificum ad 15° et tenorem alcoholis pro 100 partibus voluminis et ponderis cujuscunque miscelæ. — Series 4ª indicat numerum grammatum alcoholis pro 100 c. c.

(Vacuum)

Pondus specificum.	Pondus pro centum.	Volumen pro centum.	Grammata alcoholis pro 100 centim. cubicis.	Pondus specificum.	Pondus pro centum.	Volumen pro centum.	Grammata alcoholis pro 100 centim. cubicis.
1,000	0,00	0,00	0,00	0,951	33,99	40,70	32,30
0,999	0,53	0,67	0,53	0,950	34,56	41,33	32,80
0,998	1,06	1,34	1,06	0,949	35,11	41,95	33,30
0,997	1,61	2,02	1,60	0,948	35,66	42,57	33,78
0,996	2,17	2,72	2,16	0,947	36,21	43,17	34,26
0,995	2,73	3,42	2,72	0,946	36,75	43,77	34,73
0,994	3,31	4,14	3,29	0,945	37,28	44,35	35,20
0,993	3,90	4,88	3,87	0,944	37,80	44,93	35,66
0,992	4,51	5,63	4,47	0,943	38,33	45,50	36,11
0,991	5,13	6,40	5,08	0,942	38,84	46,07	36,56
0,990	5,76	7,18	5,70	0,941	39,35	46,63	37,00
0,989	6,41	7,99	6,34	0,940	39,86	47,18	37,44
0,988	7,08	8,81	6,99	0,939	40,37	47,72	37,87
0,987	7,77	9,66	7,66	0,938	40,87	48,26	38,03
0,986	8,48	10,52	8,35	0,937	41,36	48,80	38,72
0,985	9,20	11,41	9,06	0,936	41,85	49,33	39,14
0,984	9,94	12,32	9,78	0,935	42,34	49,85	39,56
0,983	10,71	13,25	10,52	0,934	42,83	50,37	39,97
0,982	11,48	14,20	11,27	0,933	43,31	50,88	40,38
0,981	12,28	15,16	12,03	0,932	43,79	51,39	40,78
0,980	13,08	16,14	12,81	0,931	44,27	51,89	41,18
0,979	13,90	17,14	13,60	0,930	44,75	52,39	41,58
0,978	14,73	18,14	14,39	0,929	45,22	52,89	41,97
0,977	15,56	19,14	15,19	0,928	45,69	53,39	42,37
0,976	16,40	20,15	15,99	0,927	46,16	53,88	42,76
